C. VI. 298.



Sacerdotii ac [S]ACRIFICII NOVAE [L]egis Defenſio, aduerſus Vuolfgangi Muſculi, Auguſtæ Concionantis Arroſiones:

[P]ER IOANNEM COCHLAEVM.

Cum Priuilegio.

PARISIIS,

Apud Ioannem Ruellium, ſub inſigni caudæ Vulpis, in vico D. Iacobi.

1545.

REVERENDO IN CHRIſto patri ac Domino, Domino Geruuico, Abbati vetuſti & inſignis Monaſterij Vineæ, doctrina & eloquentia præcellenti Ioannes Cochlæus.

S. P. D.

REuerende in Chriſto pater ac gratioſe Domine, nuper, quādo reſpondi conuicioſo in me libro Henrici Bullingeri, ſcripſi inter alia multa, de Miſſæ ſacrificio in hæc uerba: Quantum ad rem ſacrificij attinet, unicum eſt in cruce & in altari ſacrificiū, unum, inquam, & idem corpus Chriſti, utrobique oblatum, ſed in modo ſacrificandi eſt differentia. In cruce enim oblatum eſt pœnaliter per mortem corporalē: In altari autem offertur myſterialiter per mortis & paſſionis memoriam. Id quod ſane, maximo cum malo & peccato publico imperij & Germaniæ, deblaterantur omnes illæ blaſphemiæ, quas uos ſceleratiſſimi Eccleſ... ...tores, Lutherani, Zuingliani,

Suer=

Suermeri & Anabaptiſtæ, effutitis horrenda impietate in Miſſam & ſacroſanctum altaris myſterium &c. Ne quis uerò putet, *leues aut paucas eſſe huiuſmodi blaſphemias, eas præſertim quas inter* Zuinglianos *deſerti homines* Bucerus, Bullinger, Muſculus, *& id genus alij in publicum & ſcriptis euulgatis & ſermonibus concionatoriis frequenter effutiunt, uiſum eſt mihi* R. Dignitati *tuæ hunc, quem in* Muſculum *ſcripſi, libellum & nominatim dedicare, & in publicum exhibere.* Quem *ut æqui boniq́; facias, pro mea antiqua erga* R. D. *tuã obſeruantia, etiam atque etiam precor & obnixè rogo.* Copio*ſius quidem ac lõgè eruditius aſſeruerunt nũ per ſalutare ſacrificium iſtud per ſuos* Theo*logos ex ſanctis & antiquis patribus* Reue*rendi & illuſtres domini* Decanus *& capitulum* Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis, *in ſua aduerſus nouam reformationem per* Bucerum *& complices eius ſub nomine* Ar*chiepiſcopi* Colonienſis, *editam confutatio*ne. *Sed quia ſcripta & edita eſt* Teuthonicè,

uiſum eſt mihi, operæpreciũ fore, hunc quoque libellum qnem ſcripſi, antequam uiderim confutationem illam in lucem emitti, ut uideat lector, quàm bene conueniat ubiq; catholicis in eccleſia Chriſti, *per ſpiritũ ueritatis, in uno & eodem ſenſu, quantumuis loco & tempore ſint ab inuicem ſeparati, dum ſcribunt.* Neque enim Colonienſes, neque ego aliter ſentimus de altaris ſacrificio quàm ſenſerunt olim ante mille annos & longè amplius ſancti Eccleſiæ doctores & patres antiqui, neque aliter item quàm ſenſerunt noſtris temporibus pij & catholici Doctores, qui contra nouas Germaniæ ſectas in Italia, Hiſpania, Gallia, Angliaq; de Miſſa ſcripſerunt: Quia unus eſt ubique ſpiritus ueritatis in eccleſia Dei. Bene ualeat R.D. tua, Ampliſſime Pater & gratioſe domine.

Ex ciuitate Eyſtetenenſi. Die XVI. Maij. Anno Domini. M.D.XLIIII.

SACERDOTII ET SACRIFI- cij nouæ legis defenſio, aduerſus Muſculi arroſiones: Per Ioannem Cochlæum.

Pręfatio.

QVantumuis glorieris Muſcule, tuos contra Miſſam ſermones duos, Ratiſponę habitos, Vuittembergæ excuſos eſſe: Tibi tamen minime ignotum eſt, quàm multa ſit ſententiarum de Miſſa & Euchariſtia diuerſitas inter Vuittembergenſes & Auguſtenſes vel hodie adhuc: Quandoquidem & tu vnus eorum fuiſti, qui ex Zuinglij ſecta ad Lutherum Vuittembergam ante annos ſeptem miſſi fuerunt, attentandæ cum illo concordiæ gratia. Vidi quippe nomen tuum in actis, quæ Francofordiæ ad Mœnum in editu ſcripſiſtis, vt veſtris ciuitatibus falſa gloriatione probaretis, vos nō inaniter ea in legatione veſtra & tempus & pecuniam conſumpſiſſe. Vidi autem ea

Legatio Zuiglianorū ad Lutherū

acta,non per Typographos excuſa, ſed ſecretò ſcripta. An verò publicata vſquã fuerint,reſcire hactenus non potui, etſi diligenter quæſiui. Suſpicor equidem,in lucem edita non eſſe: Tum quia concordiam,quam ſperabatis, non reportaſtis: tum quia nimis durè ac imperioſè agere vobiſcum viſus tum erat Lutherus,nollẽs vllum vobiſcum inire tractatum, niſi reuocaretis prius errorem,de quo tam acris fuerat ei contra Zuingliũ & Oecolampadium per multos libros contentio. Quæ autem fuerint reuocationis veſtræ verba,neſcio: Conſtat verò, Reuerendiſſimum epiſcopum Auguſtenſem, dominum Chriſtophorum à Stadio, claræ ac felicis memoriæ(qui anno ſuperiore Nurembergæ in domino mortuus eſt) ac venerabiles eccleſiæ Auguſtenſis prælatos & canonicos,paulo pòſt in ſua aduerſus calumnioſum,nomine Auguſtenſium ciuium editum libellum Apologia,palàm affirmaſſe,quòd Auguſtenſes,

Epiſcopi et Cleri Auguſteñ. Apologia.

ſes,Clerum catholicum expulſuri, Auguſtanam Lutheranorum confeſſionem acceptauerint magis ad loricam quàm propter fidem:cùm ſint reipſa Zuingliani:quid ad ea reſpondiſti Muſcule?

Quid reſpondeas verò,cùm adhuc hodie Zuingliana potius quàm Lutherana ſint apud vos nouæ religionis inſtituta, & longè alia ſit in templis altarium facies Auguſtæ quàm Vuittembergæ, alius ceremoniarum ritus, alius ſacrorum cultus. Quinimò per tuas potiſſimum intemperies & inſanias plus quàm Turcicas,non plura ſunt Auguſtæ quàm Tiguri (vbi Zuinglius inſaniuit)relicta in templis & monaſteriis altaria:itaque nō Vuittembergæ modo apud Lutheranos, verumetiam Cōſtātinopoli apud Turcas plura ſunt hodie Chriſti altaria quā Auguſtæ.Vana eſt igitur tua de Vuittēbergæ editis ſermonibus tuis gloriatio. Cùm ſis reuera Zuinglianus magis quā Lutheranus.

Zuingliana ſecta Auguſtæ.

Miſeret me profectò & Principum & Ciuitatum, quicunque ſunt propter Augustanam confeſſionem confœderati, & infelici fœdere illo à cæteris ſacri Ro. Imperij Principibus ac ſtatibus, & ab ipſomet Imperatore Romanorũ ſemper Auguſto, domino ſuo, in religione diuiſi ac ſeparati, quod tamdiu patiuntur ſibi à vobis Cõcionatorib⁹ nequiſſima verborũ colluſione illudi: Cũ ſit magna inter vos ipſos intus in cordib⁹ veſtris de rebus fidei diuerſitas, atque etiã in exteriori cultu & obſeruatione differẽtia, Vt nulla vnquam poſſit inter Zuinglianos & Lutheranos ſtabilis erigi aut ſanciri in fide & religione concordia etiamſi omnes Catholicos interim opprimerent (quod Deus tamẽ nũquam permittet) aut extirparent.

Colluſio Cõcionatorũ, qua decipiũtur principes.

Vos enim cõcionatores, qui nõ quæ Chriſti ſed quę veſtra ſũt quęritis, per ſuperbiã & Philautiã veſtrã nunquã à nouitatum inuentionibus quieſcitis, quia

Nulla ſtabilis.

quia non gloriam Ieſu Chriſti, ſed ve-ſtram quæritis: Chriſti enim gloria in vnitate fidelium, veſtra autem in diuiſi-one conſiſtit. Vbi vnitas eſt, ibi regnat ac præualet oratio Chriſti ad patrem, vt vnum ſint qui in ipſum credunt: vobis autem gloria eſt in diuiſione, in vnitate verò confuſio. Si enim redierint (vt o-pto) Principes & Magiſtratus, quos de-cepiſtis ac ſeduxiſtis, ad Eccleſiæ matris noſtræ gremium in vnitatem fidei: quæ veſtra remanebit autoritas aut gloria? Cùm itaq; hoc (vt callidi eſtis) probè ſciatis ac præcogitetis, omne ſtudium veſtrum in id præcipuè intēditis, vt po-pulos ſemel in ſectarum naſſam arte ve-ſtra inductos, in perpetua diuiſione & ſatanę captiuitate ad certum & ęternum animarum interitũ retineatis. Quem-admodum generaliter de omnibus ſe-ctis, quęcunque à catholicą & Romana eccleſia diſcedunt, pronunciant omnes ſancti Doctores, etiam antiquiſſimi, vt

inter hæreti-cos con-cordia.

Ioã. 17.

Ire-

Irenæus, Ignatius, Cyprianus: immò & Paulus Apoſtolus ad Corinthios omnium efficaciſſimè, in omnes qui charitatem (quæ vtique in vnitate conſiſtit) nõ habent.

Deféſio Miſſæ à multis edita.

Cæterùm quæ tu contra Miſſam nũc deblateras, maxima ex parte & dicta ſũt prius à Luthero, & à catholicis confutata iampridem. Quare prolixa mihi ad ea hîc opus non eſt reſponſione. Nam & ego (catholicorum per gratiam Dei, vnus, licet minimus) ea prius confutaui Teuthonicè in non paucis libellis, quos in Lutherũ edidi: & latinè accurata diligẽtia cõfutata ſũt à probatiſſimis Theologis, Ioãne Fiſchero Epiſcopo Roffenſi, Ioãne item Fabro epiſcopo Viennenſi: à Ioãne præterea Eckio inuicto Antagoniſta veſtro, ab Alberto principe Carpenſi, ab alma vniuerſitate Pariſienſi iampridem & Louanienſi, ac nuper ab orthodoxo Clero, & academia Colonienſi, doctiſſime item à ſolidæ doctri

æ theologis Ioanne Mēſingo,Michaē-
e Vehe,Caſparo Saſgero.Ioā. Dietem-
bergio, Ambroſio Pelargo, Alberto Pi-
ghio,& id genus pluribus. Qui tot pro
Miſſæ defenſione adduxerunt, tum ſa-
cræ ſcripturæ locos,& ſanctorum patrū
teſtimonia,conciliorumq́ue decreta, tū
rationes Theologicas & omnium per
orbem terrarum eccleſiarū Chriſti con-
ſuetudines & atteſtationes, vt nulla vn-
quam cauſa probata ſit copioſius. Ad il-
lorū igitur libros voco & inuito lectorē
quicunque vllum de Miſſa ſcrupulum
in mente ſua habet.

Quod ſi illi minus fortaſſe in omnibus ei ſatisfaciant, reſtant antiquiores theologi, Alexander de Ales, Doctor irrefragabilis, Albertus magnus, D. Thomas de Aquino, item Bonauentura Cardinalis, Doctor ſeraphicus, Ioannes Scotus doctor ſubtilis, Thomas Vualden Anglus,& complures alij, qui aduerſus Albigenſes, Vualdenſes, Vuiclephitas, Huſſi- Scholaſtici. Theologi.

Huſſitas, antiquos hereticos (partes, auos & proauos veſtros)ſacratiſſimum Miſſæ officium veramq́ue Euchariſtiæ ſubſtantiam copioſiſſime & explicarunt & defenderunt. Nos opus eſt igitur, vt ergo nouis argumentis aut rationibus tua contra miſſam blateramenta cõfutem anxiè aut prolixè, quæ ab alijs iam pridem confutata ſunt omnia, licet populus, quem decipis, id ignoret.

Arguē-da Muſculi malicia.

Sed vnum id fraternæ chatitatis officiũ tibi, tanquam viro literato, impēdam, nempe vt arguam te malicię, eáque tibi ob oculos & ante faciem tuam ſic ſtatuam, vt non modo videre ſed & palpare eam poſſis, atque ad reſipiſcendũ te moueat illud Pſălmiſtæ: Vir linguoſus non dirigetur in terra. Virum iniuſtum mala capient in interitu. Et illud: Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris nõ impinguet caput meum. & illud Sapiẽtis: Meliora ſunt vulnera diligen-

Pſal. 139 Pſal. 140.

tis

tis quàm oſcula odientis. Prouer. 27.

Diligo equidem (etſi me iuſtum non dico) in te dona Dei, gratis tibi data: quibus multum prodeſſe poſſis Chriſti fidelibus, ſi eis ad ædificationem potius quàm ad deſtructionem vti velis. Vidi quippe tuam ex græco in Latinũ verſionem Chryſoſtomi ſuper aliquot Pauli epiſtolas, quæ ſanè multũ habet gratiæ, & in verborum facilitate, & in ſententiarum luce: tua tamen contra Eccleſiã improba machinamenta faciunt, vt nos catholici verſioni tuæ non poſſimus ſecurè confidere, ſicut neque Lutheri in Teuthonicum, neq; Oecolampadij in latinum verſionibus firmam habere fidem audemus, aut ſecurè poſſumus.

Verſio Chryſoſtomi in Paulũ

Quoties enim diſcordat in ſua verſione Lutherus, non ſolũ ab Eccleſię doctoribꝰ, verũetiã à cęteris hæreticis. Quĩ-etiã non raró à ſeipſo, dũ aliter in poſteriore quã in priore interpretatiõe ſua loquitur: & in vna Chryſoſtomi de Baby

Suſpectæ hæreticorum verſiones.

la

la Martyre hiſtoria, ferunt Germanum Brixium in Gallia depræhendiſſe ſupra CC. deprauationes, quas fecerit in trāſlatione ſua Oecolampadius. Eſt enim is antiquus hæreticorum morbus, deprauare & adulterare (ſicut queritur Apoſtolus) verbum dei & reſiſtere veritati.

2 Tim. 3
2 Cor. 4

Tertul. de præſcrip. hęreti.

Quod & Tertullianus antiquus autor atteſtatur, dicens: Illic igitur & ſcripturarū, & expoſitionū adulteratio deputanda eſt, vbi diuerſitas inuenitur doctrinæ. Quibus fuit propoſitum aliter docendi, neceſſitas inſtituit aliter diſponēdi inſtrumenta doctrinæ. Item, iſta hæreſis (inquit) non recipit quaſdam ſcripturas: & ſi quas recipit, adiectionibus & detractationibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit. Et ſi recipit, non recipit integras: Etſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit. Tantū veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantū & corruptor ſtylus. Hæc Tertul.

Oſtendam igitur tibi, Muſcule, quàm ineptè, nequiter & falsò per malitiam & dolum, nõ per ignorantiam aut ſimplicitatem, abutaris plærunque & ſcripturæ locis & patrum teſtimoniis, vt circũuenias & ab eccleſiæ vnitate ſepares, atque in perditionis ſectam trahas Laïcos ſimpliciores, qui fallendi artes & ſophiſtices verſutias non didicerũt, neque introductas à te tuiſque ſimilibus animaduertunt, aut intelligunt. Idque faciam, non in tui odium aut probrum, (quem in eccleſia potius fratrem & amicum habere velim & lucrari opto) ſed in bonũ lectoris, & in fraternam tui admonitionem, vt iuxta S. Iacobi doctrinam te cõuertas per Dei gratiam & auxilium, ab errore viæ tuæ, liberéſque, ſi me audieris, animam tuam à morte, & alios ex dãnabili, ac iam ſæpe damnata ſecta, per te reſipiſcentes, in eccleſiæ vnitatem & ſinum reducas.

Deceptio Laicorum.

Iac. 5.

DE

DE SACERDOTIO *noui Teſtamenti.*

Caput. I.

PRior itaq; ſermo tuus quem ex Lutheri de abrogãda miſſa libro(inſano planè ac diabolico)collegiſti,de duplici agit ſacerdotio,quorum alterum commune facis omnibus Chriſtianis:alterum,quod ſpecialis in eccleſia ordo eſt,prorſus abnegas,ac tollendum eſſe decernis.De priore quidem nõ opus eſt longa inter nos contentione. Nam & nos catholici omnes confitemur generale illud chriſtianorum ſacerdotium.De quo Petrus in priori epiſtola ſua,& Ioannes in Apocalypſi mentionem faciunt, Nec vllus noſtrum illud vnquam negauit.

Duplex in Chriſtianiſmo ſacerdotium.

1.Petr.2 Apo.1. &.5.& 20.

Quare impudens eſt hoc tuum contra totam eccleſiam Chriſti mendaciũ, quod ais: de iſto ſacerdotio anteà ne-

Mendacium.

minem

minem ſciuiſſe quicquam: Cùm textus ipſe S.Petri apertiſſimè declaret, quale ſit iſtud generale & omnibus Chriſtianis cc mmune, ſacerdotium. Et ipſi (inquit) tanquam lapides viui, ſuperædificamini domos ſpirituales, in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. De quo & Paulus in epiſtola ad Hebræos loquitur (Quamuis tu falsò Heb.13.
dicas, de hoc noui teſtamenti ſacerdotio nuſquam alibi, præterquam in Petri epiſtola, & Ioannis Apocalypſi, mẽtionem in ſcripturis fieri.) dum ait conformiter ad ſententiam Petri. Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Sic & Dauid rex ait, Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: Psal.115
qua tu igitur fronte dicis, ô Muſcule, de hoc ſacerdotio neminem anteà ſciuiſſe quicquam? Nunquid hos ſcripturæ locos, & patrum expoſitiones antea nemo vidit aut legit vnquam?

Quid quæſo vulgatius aut notius eſt
Rom.12 hoc dicto Pauli ad Romanos: Obſecro
vos fratres, vt exhibeatis corpora veſtra
hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequiũ veſtrum?
Nimis igitur inuerecunda & in nos calumnioſa eſt hæc tua de hoc ſacerdotio
gloriatio.

Impudens abnegatio ſacerdotii ſpecialis.

Et multo adhuc impudentior inſaniorq; eſt alterius ſacerdotij inter Chriſtianos abnegatio, non modò contra
ſcripturam ſacram, verùm etiam contra
totam Chriſti Eccleſiam, contra omnes
patres antiquos, cõtra Martyres & Cõfeſſores Domini, cõtra probatas Hiſtorias contra omnes Chronographos, Cõtra Leges & Canones, Contra rationẽ
denique & contra ſenſum communem.
Ex omnibus. n. iis locupletiſſimè probari poteſt ſpeciale quoddam & non
Math. 10. omnibus Chriſtianis commune, ſacer-
Mar.3. dotium. Etenim Euangelium teſtatur
ipſum Dominum elegiſſe XII. Apo-

ſtolos,

ſtolos, & LXXII Diſcipulos, Nunquid verò omnes Chriſtiani erant Apoſtoli? Hoc expreſſè negat Paulus ad Corinthios. Et idē Paulus ad Timotheum ſæpius mentionem facit de Preſbyteris: ſimiliter & ad Titum, quem in Creta reliquit vt per ciuitates Presbyteros conſtitueret. Ipſe præterea ſimul cum Barnaba credentibus in Chriſtum populis conſtituerunt Presbyteros per ſingnlas Eccleſias in ciuitatibus Pamphiliæ vbi prædicauerant. Nunquid verò omnes fideles, qui Pauli prædicatione ad Chriſtum fuerant conuerſi, erant aut dicebantur Presbyteri? Hoc tu nobis oſtende ſi potes.

Luc.10. 1.Cor. 12. 1.Tim. 2. Tit.1. Act.14.

Omnes Epiſcopi & Preſbyteri ſpecialiter ſacerdotes dicũtur.

Certè ex Apoſtolorũ diſcipulis Dionyſio, Ignatio, Clemente, Anacleto & Polycarpo clariſſimè oſtēditur, non omnes Chriſti fideles fuiſſe Epiſcopos aut Preſbyteros, qui ſpecialiter ſacerdotes dicuntur: Quemadmodum & S. Ambroſius ait Petrum Apoſtolum Ro-

Ambro. de ſacramentis lib.3.

manæ eccleſiæ ſacerdotem fuiſſe. Et in antiquis conciliis atque in ſcriptis patrum vulgatiſſimũ eſt, epiſcopos ſacerdotes dici.

Epiphanius cõtra hæreſes li. 3.

Epiphanius itaque Cypri epiſcopus, ſcripturarum iuxta, linguarumq́ue peritiſſimus, repræhendit quoſdam, qui licet inter Chriſtianos ſanctiſſimè viuerent, pro hæreticis tamen habiti ſunt, quod munus ſacerdotale ſibi ipſis arrogarent. Quemadmodum (inquit) Zachæus, qui nuper mortuus eſt in montana circa Hieroſolyma regione, qui penitus cum nullo homine preces faciebat, ſed & ob eandem cauſam audenter ſancta myſteria contrectabat, & ſacrificia, cùm laïcus eſſet, impudenter tractabat. Alius verò quidam, qui vitam ſummè piam viuere putabatur, & in monaſterio circa deſerta Ægypti habitabat. Itemq́ue alius ad Synęum habitans, qui ex ſomniis iuueniliter ac fortiter, ſed temerè egerunt, vt impoſitionem ma-

nuum

nuum ad epiſcopatum ſuſceperint, ſederintq́;,ac ea quæ Epiſcoporum ſunt, facere aggreſſi ſint,ad ſe non pertinentia. Quid dicam de chriſtianorum Imperatorum legibus publicis, in quibus toties Sacerdotum,Epiſcoporũ & Preſbyterorũ fit mentio,non ſolùm in Codice,verumetiam in Autenticis & Nouellis.

Sed & recta ratio, & communis naturæ ſenſus non permittunt, vt in vlla religione ſit tam fœda & plus quàm Babylonica confuſio, in qua vel ex æquo ſacerdotes qui cultum altaris peragant, ſint omnes homines, aut nulli prorſus ſacerdotes. Talis enim cõfuſio non decet regnum Chriſti, quod eſt eccleſia: hęc enim amicta eſt varietatib⁹, hoc eſt variis miniſtrorum & ſtatuum ordinibus,vt ait Pſalmiſta, & ſicut caſtrorum acies ordinata,teſte Salomone. Pertinet autem huiuſmodi turpitudo & cõfuſio ad regnum Diaboli, de quo ait Iob: In

Fœda ordinum cõfuſio.

Pſal. 44.
Can. 6.
Iob. 10.

quo nullus ordo,ſed ſempiternus horror inhabitat.

Plinius lib 10 cap. 45.

Quid habes obſecro rationis aut ſcripturæ,ô indiſciplinate & monaſticæ diſciplinæ deſertor Muſculæ(ferunt enim Naturales Philoſophi, mures omnino indociles eſſe)quæ neget aut prohibeat ſpecialem in Eccleſia Chriſti ordinem ſacerdotum? Nunquid propter te & ſimiles tui Apoſtatas perfidoſque Monaſtici & ſacerdotalis ordinis deſertores,debet abnegari aut aboleri ex Eccleſia Chriſti ſacratiſſimus ſacerdotum ordo?Hoc quidem molitur per vos Apoſtatas, velut per ſtrenuos & fideles in malo ſatellites ſuos, omnis confuſionis autor, & implacabilis atque perpetuus Eccleſiæ hoſtis Diabolus,ſerpens antiquus,vt ſublato ex Eccleſia paſtorum & cuſtodum Dominici gregis ordine, ſecurè ac nemine reclamante in omnes oues Chriſti deſæuiat,rapiat,mactet ac perdat.Qui et ab initio ipſos expetebat Apoſtolos,

Machinatio Diaboli per hæreticos. Ioh. 10. Luc. 22.

Apoſtolos, vt cribraret eos ſicut triticũ Sed efficax obeſt,& obſiſtit ei oratio Chriſti qui ſpecialiter pro Petro rogauit,ne deficiat fides eius·Hæc certe oratio tantæ virtutis hactenus Per M.D annos fuit,erítque vſque ad cõſummationem ſæculi,vt per nullas hæreticorũ (qui Satanæ ſatellites ſunt & portæ Inferi dicuntur) inportunitates defecerit aut vnquã defectura ſit fides Petri, que verbo & oratione domini cõfirmata eſt. Verbũ enim Domini manet in æternũ. Math 16

Siergo ſubtiles Arrij & Pelagij Neſtoriique & Euticetis hæreſes,quæ in perpaucis vno aut altero, articulo ab Eccleſia diſſentiebant , præualere contra fidem & ſedem Petri non potuerunt,ſed iuſto Dei iudicio fuit finis eorum interitus, & gloria in confuſione ſempiterna. Qua vos obſecro inſania barbariſſimas hæreſes veſtras contra fidẽ Petri præualituras eſſe ſperatis , quæ nõ vnũ aut alterũ Eccleſiæ articulum)vt præ-

Hæreſes contra fidẽ Petri non prçualebunt.

lo vnquam tempore fuiſſe Romæ opulentiores pontifices, quàm ſub illis regibus. Id quod facilè aſſentietur & credet, qui ex Platyna vel vnius Symmachi Papæ opera magnifica, valdeque precioſa, & ampliſſimas eius eleemoſynas cõſiderat. Et Aurelianus Imperator Paganus, ſacerdotium noui Teſtamẽti, quod vos nunc negatis, publicè agnouit: de quo ſanè Euſebius in Eccleſiaſtica Hiſtoria, vbi de damnatione Pauli Samoſateni, Patriarchæ Antiocheni, per concilium Epiſcoporum ſcribit, inter alia multa ſic refert: Domino (inquis) in Epiſcopatum ſubrogato, Paulus à ſacerdotio abſciſus & communione, cum de domo Eccleſiæ nollet exire, interpellatus Imperator Aurelianus, religioſè ſatis de hoc ſanctèque decernit, His præcipiens Eccleſiæ domum tradi, quibus Italiæ ſacerdotes, & Romanus epiſcopus ſcriberent: Hæc Euſebius ante annos plus minus. M.C.L. quæ acta fuerunt

Euſeb, lib. 7 cap. 25.

runt ante annos M.CC.LXX. Vbi clarè videmus de Chriſtianorum, non de Paganorum aut iudæorum, ſacerdotio mẽtionem factam eſſe, tum ab Epiſcopis qui Paulum propter hæreſim depoſuerunt, tum ab Imperatore Pagano.

Epiphanii lib. 3. contra hæreſes.

Audi præterea, quid antiquus Cypri Epiſcopus (cuius ſupra paulo antè mentionem fecimus) Epiphanius vir doctiſſimus, eloquentiſſimus & linguarũ peritiſſimus de ſacerdotio cõtra hæreſes quaſlibet dicat: Vertex (inquit) horum omnium aut mater (vt ita dicam) genitrix eſt ſanctum Sacerdotium, Ex virginibus quidem vt plurimum procedens. Si vero non ex virginibus, at ex ſolitariam vitam degentibus. Si verò non ſufficerint ad miniſterium ex ſolitariam vitam degentibus, de his qui continent à propriis vxoribus aut ab vnis nuptiis viduitatem ſeruantibus. Nam eum qui ſecundas nuptias contraxit, non licet in ipſa ad ſacerdotium ſuſcipere.

Quid

Quid tu ad hæc Muſcule? Si nondum ſatis antiqua videtur iſta tibi, Ecce adhuc multò antiquiora ſuperaddam, ex magni Pauli Apoſtoli diſcipulo, Dionyſio Areopagita, quẽ ille ex Pagano philoſopho & iudice fecit Chriſtianum. Is igitur (vt omittam ea quæ prolixè tradit de ſacerdotio, vbi ſacramentum ordinis declarat) ad Demophilum monachum ſcribens, ſic ait: Nefas eſt ſacerdotem à miniſtris (qui te ſuperiores ſunt) atque à tui ordinis viris iudicari, etiam ſi impius in diuina eſſe videatur, etiam ſi quid aliud ex iis quæ interdicta ſunt egiſſe depræhenditur. Nam ſi diſtinctiones ordinéſque confundere, ſacratiſſimas Dei ſanctiones & iura tranſgredi eſt, omni profectò ratiõe caret, Dei cauſa peruertere traditum diuinitùs ordinem. Ex his paucis Dionyſij verbis pius lector facilè intelliget, quàm temerario impioq́; , ac prorſus irrationabili auſu,

Dionyſij epiſtola de ſacerdotio.

cona-

conamini vos excæcati ac ſcelerati apo ſtatæ, ex eccleſia Dei tollere ordinem & dignitatem ſacerdotalem. Prolixa quidem eſt ea Dionyſij epiſtola, ſed per eã poſſunt multi errores veſtri confutari & cõuinci, ſi accuratius intelligatur & expendatur.

Diſcrimen inter ſacerdotes & Laicos.

Quis igitur ferat impudentiſſimam hanc tuam arrogantiam, quod putas calumnioſam loquacitatem tanti fore mõmenti, vt propter eam tolli debeat diſcrimen inter ſacerdotes & laïcos, & diſtinctio inter Eccleſiaſticos & ſæculares. Qua id facis autoritate? qua ſcriptura, aut ratione? Teſtificantur ad diſcrimen iſtud omnia iura, & diuina & humana, lex vetus, lex noua, ius gentium, leges Imperiales, patres, concilia, hiſtoriæ & quid non? Tu quid habes contra hæc omnia? Nihil profectò inuenio in libro tuo, niſi falſum & inane ſophiſma, quo frequentiſſime vtimini vos eccleſiæ hoſtes, immò deſertores ac tranſ-

fugæ

fugæ, contra omnia ſacra myſteria noſtra, dum indoctè & contra Dialectices artem & regulas, argumentamini per locum ab autoritate negatiuè, vt quicquid in ſacris literis non reperitur ſcriptum aut expreſſum, pro humano figmento haberi debeat.

Nos autem perſæpe oſtendimus, tum ex aliis multis, tum ex Auguſtino (quẽ & tu magnifacis) non omnia eſſe in literis ſacris expreſſa, quæ credere & ſeruare debemus. Nec decebat Dei ſapientiam, omnia myſteria fidei noſtræ publicare, & omnibus hominibus nota facere in ſcripturis, quas Iudæi quoque & Pagani videre poterant. Si enim Chriſtus ipſe (æterna Dei patris ſapientia) Iudæis ſcandalum & gentibus ſtultitia viſus eſt, vt ait Apoſtolus. Quanto magis myſteria fidei, abſtruſa & intellectu difficilia, riſui aut contemptui futura fuiſſent Iudæis & Paganis, qui cùm nihil eorum crederent, rectè intelligere minimè

Aug. epiſt 118 & 119

Myſteria non ſcripta.

1. Cor. 1.

mē poterant: quemadmodum per Eſaiā
Eſa. 7. ait Dominus, Niſi credideritis, non in-
Math. 7 telligetis: quare & in Euangelio prohi-
buit ipſe dominus, ne ſanctum demus
canibus, neque proiiciamus margaritas
noſtras ante porcos. Quid vero ſan-
ctius aut præcioſius habemus in vni-
uerſa religione noſtra quàm Miſſá, per
quam poſſumus communicare carni &
ſanguini Chriſti?

Deut. 4. Nullo enim alio ſacramēto aut my-
ſterio tam appropinquātem nobis ha-
bemus Deum noſtrum, quàm habemus
per Miſſarum ſolēnia, per quæ Chriſtus
Ephe. 5. nutrit & fouet (vt ait ad Epheſios Pau-
Veneratio Miſſæ. lus) Eccleſiā, qui mēbra ſumus corpo-
ris eius, de carne eius & de oſſibus eius.
Quapropter in primitiua Eccleſia in
tāta erat veneratione Miſſa, vt eius cele
brationi nemini intereſſe liceret (teſte
Dionyſ. de Eccle Hierar. cap. 3. Canone quodā Apoſtolorum & Dio-
nyſio) niſi qui eſſet ſacræ communio-
nis particeps. Et multis deinceps ob-

ſeruatum

ſeruatum fuit ſæculis, vt poſt lectũ Euangeliũ recitatúmque aut decantatum ſymbolũ, iuberentur publica Diaconi voce exire Catechumeni, Energuminíque et pœnitentes publicè, ne intereſſent (tamquàm indigni adhuc) ſacratiſſimis Miſſæ myſterijs ritè peragendis.

Quomodo igitur decuiſſet ſpiritum ſapientię & intellectus, õnia ea myſteria in publicas referre literas, vt Iudæis, quoq; & Paganis paterent, magis ad riſum & calumniam, quàm ad fidem & charitatem in Chriſtum? Si. n. vos Apoſtatæ quibus tanquam ſacerdotibus nota ſunt ſacra noſtra, nõ veremini vſque adeò barbaricè & irreligioſe in Miſſæ ſacrificiũ et in panis viníque trãſmutationẽ blaſphemare publice atq; calũniari itavt Iudęi quoq; & Turcę ea improperia veſtra legere queãt: Quid non facturi fuiſſẽt Iudęi et Pagani, Turcę itẽ et Tartari, ſi ĩ publicis & canonicis ſcripturis noſtris omnẽ ſacrorũ noſtrorum

Nõ decuiſſet Myſteria euulgare.

ritum palàm & apertè deſcriptum lege-
re potuiſſent ? Audi ergo, quid contra
hanc barbaricam myſteriorum euulga-
Baſilius de ſpiritu ſancto. 7 tionem magnus dicat Baſilius: Qui in
primordiis (inquit) Eccleſiæ certos ri-
tus præſcripſerunt, Apoſtoli & patres,
in occulto ſilentioque myſteriis ſuam
ſeruauere dignitatem. Neque enim o-
mnino myſterium eſt, quod ad popula-
res ac vulgares aures effertur. Hæc eſt
ratio, cur quædam citra ſcriptum tradi-
ta ſunt, ne dogmatum cognitio propter
aſſuetudinem vulgò veniret in contem
ptum. Hęc & id genus permulta de non
ſcriptis Eccleſiæ dogmatibus & myſte
riis luculenter diſſerit Baſilius, ne teme
rè & irreuerenter euulgentur, ſicut vos
facitis, qui ea irridetis etiam et blaſphe-
matis. Vnde & ſapientiſſimus Dio-
nyſius deſcripturus Timotheo ſacerdo-
tij noſtri functionem, & ſacramentorũ
myſteria dicebat, mox in principio, vt
diligentius obſeruaret, ne ſancta ſancto

rum

rum efferret, néue prophanis oculis violanda permitteret, ſed reuereretur potius, oculti que Dei myſteria ſpiritualibus inuiſibilibúſque notionibus honoraret, atque intemerata ſeruaret, nequaquàm ea paſſim rudibus traderet, ſed ſanctis ſolis ſanctarum rerum intelligentias ſacratius panderet. Hæc Dionyſij verba declarãt illud ad Corinthios 1. Cor. 2 Apoſtoli dictum, ſapientiam loquimur inter perfectos nõ eam quæ huius eſt ſeculi, ſed Dei ſapientiã in myſterio quæ abſcondita eſt. Quare non ſolũ nõ oportuit, verũ etiam non decuit nec expediens fuit, ſacerdotij noſtri myſteria in publicum efferre & omnium oculis exponere. Falſiſſimũ igitur & inaniſſimũ eſt iſtud ſophiſma veſtrum (quod omnium ferè hęreſum veſtrarũ fundamentũ eſt, ſuper arenam, nõ ſuper petram poſitum) quo contenditis, humana eſſe figmenta, quæcunque in ſacris literis nõ ſunt contenta aut expreſſa. Quinimo, quanto ſa-

Falſum Lutheranorum omnium fũdamẽtum.

cratiora ſunt myſteria fidei noſtræ, tanto minus expoſita eſſe debent, & patere prophanis. Id quod tu probè noſti ex ipſius vocabuli ſignificatione. Nõ enim ignoras græcè myſteria dici quæ latinè arcana dicuntur. Quando quidem Grãmatici quoq; noſtri Perottus & Calepinus docent, Myſteria latine dici ſacra arcana, quæ niſi ſacerdotibus ſcire nefas ſit. & Myſtas dici ſacerdotes, vt apud Auſonium, Senecam & Papinium: Et Symmyſtas conſacerdotes, eiſdẽ ſacris iniciatos.

Scelus & nefas cõtra ſacrũ Canonem Miſſæ.

Quantum igitur eſt nefas Muſcule, tuum Lutheriq́ue & Zuinglij atque neſcio cuius Melhoferi, qui ſacrum Canonem Miſſæ (in quo ſacratiſſima tractantur myſteria) non ſolùm in publicum contumelioſe in vulgari lingua produxiſtis, vt velãda & arcana matris noſtræ Eccleſiæ populo ad irridendũ reuelaretis, Verũ etiam multis calumnijs falſiſq́ue expoſitionibus inuertiſtis, atque

Laïcis

Laïcis blaſphemandũ tradidiſtis, Multo profecto peiores in hoc eſtis & in matrẽ veſtram (quæ per baptiſmum vos, vt nos regenerauit) magis impii, quàm fuit ſceleratus Noë filius Cham, qui patris ſui verenda per ebrietatẽ et ſomnũ nudata, fratribus ſuis duobus nunciauit foras: Cham enim non multis, aut alienis, ſed duobus duntaxat fratribus ſuis manifeſtauit patris verenda, idq́ue fecit abſque calumnia, neque nudauit ipſe, ſed nudata oſtendit ſolùm. Cham. Gen. 9.

Vos autem arcana matris, quæ per ſeſe pulchra & ſancta ſunt abſque omni turpitudine, impiis cauillationibus & calumniis, in probra et improperia vertitis coram omni populo, & contra Deũ & rei veritatem bonum dicitis malum, Vnde veriſſime in vos competit, illud Eſaiæ: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum & c. Per hanc enim iniquitatem veſtram, rei eſtis omnium Grauiſſima peccata. Eſaiæ. 5.

peccatorum & blaſphemiarum, quæ in populo Dei ab inſipientibus contra Canonem ſacrum & Miſſæ myſteria fiunt quotidie per tot iam annos, vbicunque calumnioſa & peruerſa doctrina veſtra innotuit.

Indoctũ Muſculi argumẽtum. Vt igitur inſcitiam tuam, quam in negatiua per locum ab autoritate ſcripturarum argumentatione prodis, clarius intelligas, recitabo hîc ipſum argumẽtũ. Petimus (inquis) vt ſacerdotium ſuum defendant, non ſane per patres, neque per Epiſcopalia conſilia, neque per longam conſuetudinem, In quibus omnibus nullum eſt, aut eſſe poteſt fundamentum in cauſa tanti momenti, ſed per ſanctas Biblicas ſcripturas. Si quas ergo habent, proferant: Sin minus, manifeſtum eſt vtique, ſacerdotium eorũ merum eſſe & nihili, immò pernicioſum, figmentum humanum.

Solutio. Reſpondeo, primum ſanè, quòd ſacerdotium noſtrum ex ſcripturis quoque probari ac defendi

di poteſt,ſicut factum eſt,cùm à pleriſq; aliis hęreſum veſtrarum confutatoribus (vt dictum eſt ſuprà) tum à me ipſo in non paucis aduerſus Lutheri impias inſanias libellis,præſertim Teuthonicis, contra quos nemo veſtrum replicauit. Deinde,quòd non ſunt omnia in ſcripturis expreſſa,quæ credere ac ſeruare debemus, ſicut ex Auguſtino ſupradictum eſt,Tertio,quod argumentum peccat in forma quoque. Aug. ad Ianuarium.

Quòd vt apertè videas,ſimilem propono tibi de ſummo fidei noſtræ articulo paralogiſmum,qui vel tuo (ni fallor) iudicio impius cenſeri debet. Peto, inquam,à te Muſcule,vt Trinitatem perſonarum in vna Dei ſimpliciſſima eſſentia defendas,non per patres, neque per concilia,nec per longam conſuetudinē, ſed per ſanctas Biblicas ſcripturas: ſi quas ergo habes,profer, & oſtende vbi ſcriptum ſit,Tres perſonas vnius eſſe eſſentiæ,& æqualis potentiæ: ſi non pro- Paralogiſmus contra Trinitatem perſonarū.

fers nec proferre potes, teipſũ facis Arrianum, immo plus quàm Arrianum, ſi hunc articulum dixeris merum & nihili atque etiam perniciosſum figmentum hominum. Intellige probè quid hic à te petam, Non peto, inquam, vt oſtendas eſſe Tres, patrem et filium & ſpiritum ſanctũ, hoc enim clare teſtatur & Matthæus in Euangelio ſuo & Ioannes in Canonica epiſtola ſua. Sed peto, vt oſtẽdas, quod hi Tres debeãt dici Tres Perſonæ, vt latini dicunt, aut Tres Hypoſtaſes, ſicut greci dicunt. Qua quæſo ſcripturæ autoritate ſic dicunt? Hic igitur exere ingenii tui vires, excute omnes ſcripturarum ſinus, locos & angulos, ne cogaris per tuum paralogiſmum dicere, Tres Perſonas in diuinis humanum eſſe figmentum. Si nihil inueneris, agnoſce vel ſero, ruinoſum & erroneum eſſe commune fundamentũ veſtrũ: cũ dicitis nihil eſſe credendum aut recipiendum quod Biblicis ſcripturis non habetur.

Matth vlt.
1. Ioh. 5.

Confutato

Confutato itaque hoc veſtro fundamento, totus profecto liber tuus confutatus eſſe videtur. Huic enim falſo fundamẽto totus innititur. Vis enim vt omnia ſacra, ritus & myſteria religionis noſtræ, ea preſertim quæ in miſſa peragũtur, ex ſcripturis oſtendamus vobis, ſi pro figmentis haberi non debeant. Oſtendi autem iam ſupra & ex ſcripturis & ex Dionyſio, neque decere neque oportere, vt per Canonicas ſcripturas euulgẽtur õnia fidei noſtrę myſteria: Et è multis quæ cõmemorare poſſẽ, vnũ tibi obieci articulũ de Trinitate ꝑſonarũ.

Confutatio totius libri Muſculini.

Si dixeris fortè, de vocabulo perſonæ non eſſe diſputandum, vbi de re conuenit, Neque hanc ex ſcripturis poteris probare euaſionẽ. Nunquid vero æquanimiter ferant aures Chriſtianorum, ſi quis illos Tres, Patrem & filum & ſpiritum ſanctum dicat Tres Chimeras ſicut impie dixit ætate noſtra Seruetus? An ignoras, quàm anxiè admiſerit S.

Tres perſonę, Nõ Tres Laruæ.

Hieron. ad Damaſum. Hieronimus eòs dici Tres Hypoſtaſes? Neque admiſſurus fuiſſet, niſi Ro. Pontificis reſponſo autoritateque confirmatus. Quia timebat venenum in literis & ſyllabis huius latere vocabuli. Neque ignoras, perſonas apud Grãmaticos & Poetas Rhetoreſque plærumque accipi pro laruis, & Perſonatos pro laruatis ſeu larua tectis. Quis autẽ ferat, ſuperbe nedictam & ineffabilem Trinitatẽ (quã nos credimus) dici Tres laruas? Qua igitur ſcriptura probabis, Tres illos, potius Tres perſonas quàm Tres laruas (parcat & ignoſcat mihi diuina Maieſtas) eſſe dicendos?

Hinc igitur agnoſce, quanti facienda ſit fides & authoritas Eccleſiæ, quam Paulus non fruſtra columnam & baſim
1 Tim. 3. veritatis appellat. Et cogita, quàm iniqui, improbi & impij ſint impetus maledicentiæ veſtæ & calumniarũ conuiciorũque inſultus & exaggerationes Lutheri & omniũ cõplicũ & diſcipulorũ,

ęius,qui tam procaciter omnia reiicitis & irridetis Eccleſię inſtituta, traditiones,rit⁹ & myſteria quęcũq; in Biblicis ſcripturis non reperiuntur. An ignoras huiuſmodi procacitatē veſtram ab Auguſtino dici inſolentiſſimam inſaniam? Quod ſi non timerem & ſcandalum apud fideles et improperium apud infideles,facile poſſem hic omnes & Lutheri et tuas inſultatiões procaciſſimas (quibus Eccleſiæ Catholicæ de ſacerdotio,de miſſa,deque alijs nõ paucis ritibus & traditionibns,non ſcriptis,petulantiſſimè exprobratis, multò etiam ſcurrilius & improbius quàm fecerūt blaſphemi & infideles exprobratores illi Goliath & Rapſaces. Quorum improperia recitantur in ſcripturis)retorquere in maledica roſtra & incircumciſa labia veſtra, vt ex ſcripturis redderetis nobis rationem, quare Deus pater aut verbum æternum aut ſpiritus ſanctus debeat dici perſona. Cúmque id

Aug. ad Ianuarium.

1 Re.19
4.Re 18.

facere

facere aut prꝙſtare nequeatis,nō audetis tamē(vt puto apte dicere,quòd is articulus ſit vanū & nihili figmentū hominū,ſed doctrina potius veritatis per ſpiritū ſanctū,quē Chriſtꝰ Eccleſię dedit et reliquit, vt eam doceat omnē veritatē. Quid habetis prętereà quod ex ſcripturis ꝓ ratione afferatis, ſi vos interrogē: cur hi tres potius dicātur Tres perſonę, quàm tres viri. Quandoquidē & apud bonos autores honeſtius eſt vocabulū & nomē vir quàm perſona,& in ſcripturis Deus alicubi dicitur vir, nuſquā verò pſona,ait ſanè ſcriptura de Abrahā. Cūq;eleuaſſet oculos,apparuerūt ei tres viri,ſtantes prope eum:quos cùm vidiſſet,occurrit & adorauit in terra, & dixit,Domine,ſi inueni gratiam in oculis tuis,ne tranſeas ſeruum tuum.Ecce myſterium fidei noſtræ:tres Viros vidit Abraham,& vnū adorauit:quia tres perſonæ, non ſunt tres Domini,ſed vnus dominus, ſicut non tres Dij, ſed vnus

Cur tres perſonæ potius quàm Tres viri dicuntur in Trinitate.

Gen.18.

Gen.32.

Deus.

Deus. Legitur item in eadẽ ſcriptura de Iacob, Ecce vir luctabatur cũ eo vſque manè, & ex ea lucta Iacob dictus eſt Iſraël, quod cõtra Deum fortis fuerat. Et Hiere. ait: Cõuertimini filij reuertẽtes, dicit Dominus, quia ego vir veſter. Et apud Oſeã ait Domin⁹ ad fornicatricẽ Iſraël: Quoniã ipſa nõ vxor mea, et ego nõ vir eius. Ipſa verò conuerſa ait, Vadã & reuertar ad virum meum priorem. Hiere. 3. Oſee. 2,

De filio aũt Dei, quod vir dictus ſit, non ſolùm vetus, ſed & nouũ Teſtamentum teſtatur. De quo ſanè ſic ait Eſaias: Et deſyderauimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem. Et Hieremias: Quia creauit, ait, Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum. Et Zacharias: Ecce (inquit) vir oriens nomẽ eius. Et Lucas in, Euangelio De Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo. Et Paulus Apoſtolus: Eſa. 55. Hiere. 31. Zach. 6.

Deſ-

Act.2 Deſpõdi (inquit) vos vni viro virginẽ caſtam exhibere Chriſto. Et Petrus in Actis ad Iudæos: Ieſum, inquit, Nazarenum, virum approbatum à Deo &c. Ex his facilè intelligis Muſcule, Deum & Dei verbum in ſcripturis dici virum. Tu, ſi potes, oſtende nobis, vbi & perſona dicatur, vel pater, vel filius aut ſpiritusſanctus. Certè ſcriptura nuſquam Deum perſonam vocat, Sed ait expreſſè: Deus perſonam nõ accipit. Item, Nõ

Deut.10 eſt apud Deum iniquitas, neque perſo-

2.Paral. 19. Act. 10. narum acceptio. His tamen non obſtãtibus (quia aliter accipitur ibi perſona) rectè ac piè confitemur Tres perſonas, Patrem et filium et ſpiritumſanctum, ſicut per ſpiritum ſanctum tota confitetur Eccleſia, licet in ſcripturis nuſquam dicantur Tres perſonæ. Nec propterea dici debent humanum figmentum. Et ne quis infirmorum ſuſpicetur, Trinitatem perſonarum longè poſt tempora Apoſtolorum ab eccleſia dictam aut re-

ceptam eſſe, addo ex Dionyſio (qui illorum temporibus à Paulo conuerſus fuit) antiquiſſimum teſtimonium: cuius hæc ſunt verba, notatu ſanè digniſſima. Quocirca, inquit, in omnibus fermè ſanctis libris aduertimus, Diuinitatem ſanctè prædicari, vt ſingularem quidem atque vnicam, ob ſimplicitatem atq; vnitatem excellẽtis illius indiuidui. Ex quo veluti vnifica virtute in vnum euadimus, diuiduiſq; noſtris alteritatibus ſupra mundanum modum conglobati in diuinam Monadem atque vnionem Deum imitantem colligimur. Vt Trinitatem verò, propter diuinæ fœcunditatis in tribus perſonis expreſſionem, ex qua omnis paternitas in cœlo & in terra eſt, & nominatur. Hæc Dionyſius. Et haud longè poſt eum, doctiſſime atq; copioſiſſime de hac Perſonarum Trinitate & Eſſentię vnitate diſſeruit prolixe Alexander Papa & Martyr Chriſti in decretali quadam Epiſtola, ad quam

Dionyſ. de diui. nominibus. ca. 1

lectorem

lectorem remitto.

Quare iniuſtiſſime pariter & impiiſſime dicitis vos, ſacerdotium noſtrum Miſſamq́ue & alia multa, que tot ſæculis tenuit Eccleſia, humana figmenta. Eccleſia enim recepit ea, non ab hominibus, ſed à Chriſto & ab Apoſtolis eius per ſpiritum ſanctũ, qui cum ea manet inæternum, docens eam (iuxta Chriſti promiſſionem) omnem veritatem ſiue ſcripta, ſiue nõ ſcripta ſit. Quàm multa, rogo, inuenias fidei noſtræ dogmata in vno Euangelio Ioannis, quæ recte credidit Eccleſia antequam ſcripta eſſent? Nam vltrà LX. annos crediderat poſt paſſionem Domini Eccleſia, quòd in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, antequam hæc ſcriberentur à Ioanne. Neque tamen omnia, quæ credit Eccleſia, ſcripſit Ioannes. Iam enim audiſti, Eccleſiam recte credere, quod Tres ſint perſonæ in vna Deitate. Similiter piè

Multa ſunt credenda quæ non ſunt ſcripta.

Io. 14. & 16.

ac rectè credimus quod verbũ Dei perſona eſt,& quod in Chriſto ſint duę naturæ & perſona vna,& id genus plęraq; alia ,quæ neque in Ioanne,neque in Paulo aut Petro vſquã ſcripta reperiuntur.

Repreheſio in ſultationum.

Deſinite igitur vos Apoſtatæ & caſtrorum Dei deſertores ab impiis inſultationibus veſtris , atque agnitis tandem erroribus redite pręuaricatores ad cor, ac reuertimini fœliciter in Eccleſiæ gremium ,vnde infœliciter exiſtis , Satanæ artibus circumuẽti.Eccleſiam enim ſuper firmam petram fũdatam euertere aut expugnare nunquã poteritis , quantũuis turgeatis & gloriemini de ſcripturarũ(quas raro intelligitis recte)peritia.

Sacerdotium noſtrũ perfectius Aaronico.

Magna profectò eſt iniuria pariter & impietas veſtra in Chriſtum dominum & in Eccleſiam ſponſam eius dilectiſſimam , quando tot conuiciis probris & calumniis proſcinditis & inſectamini ſacerdotium noui teſtamenti vna cum Miſſa & omnibus myſteriis eius , ex

hoc

hoc vno fallaci fũdamento, quod in ſcri
pturis non reperiantur. Quod vtique
falſum & ruinoſum eſt vti iam ſuprà, &
aliâs perſæpe oſtenſum eſt. Venit enim
Math. 5 Chriſtus non ſoluere legem, ſed adimplere, Cuius ſacerdotiũ perfectius quoque ſit, oportet, quàm fuit legale ſacerdotium, ſicut docet Hebræos Paulus.
Heb. 7. &. 8. Quare iniuſtiſſime dicitis, noſtrum ſacerdotium eſſe figmentum humanum, Aaronicum verò Diuinitus inſtitutũ. Hoc enim lõge imperfectius eſt noſtro, ſicut poſt Paulum oſtenderunt clariſſimè ſancti patres ij prçſertim, qui de Sacerdotali dignitate ſcripſerunt, Ambroſius, Chriſoſtomus, Nazianzenus, & id genus alij doctiſſimi Viri, quibus nemo veſtrũ neque in eloquẽtia neque in ſcripturarũ peritia par eſt. Ego hic breuitatis gratia duorum duntaxat patrum Grægorij Papæ & Bernardi Abbatis (quos tota nouit Eccleſia pietate ac ſanctitate probatiſſimos) pauca quædam

verba, huic propoſito accōmoda, recitabo: Ex quibus grauitatem & impietatem peccati & maledicentiæ veſtræ agnoſcere poſſitis.

Dignitas ſacerdotum.

O veneranda (inquit Gregorius) ſacerdotum dignitas, In quorum manibus, velut in vtero virginis, filius Dei incarnatur. O ſacrum & cœleſte myſterium, quod per vos pater & filius & ſpiritus ſanctus operatur &c. Et Bernardus, O venerabilis, inquit, ſanctitudo manuū, ô felix exercitiū, ô vere mundi gaudiū cum Chriſtus tractat Chriſtū, ſacerdos Dei filiū, Cui ſunt deliciæ eſſe cum filiis hominū. Quis vnquam vidit talia? quis huic vidit ſimilia? Qui creauit me (ſi fas eſt dicere) dedit mihi creare ſe. Et qui creauit me ſine me, creatur mediāte me.

BIBLIOTECA

Vide. Gab. Biel. ſuper Canonē Miſſæ. lec. 4.

Chry. lib. 3. c. 5

Superaddam hîc (vt quàm immaniter peccaueris Muſcule agnoſcas) paucula Chryſoſtomi (qui libros ſex de dignitate ſacerdotali diſertiſſimè compoſuit) verba, quæ ſic habent: Neq; enim aliud

D quàm

quàm furòr, inquit, vocandus eſt, contemnere illud miniſterium, ſine quo nobis nec ſalus, nec ea bona quę ſunt promiſſa reddentur. Nemo enim valebit ingredi in regnum cœlorum, niſi ex aqua renatus & ſpiritu. Et qui non manducat carnem Domini, nec bibit eius ſanguinem, non habebit vitam æternam. Quę per nullius alterius, quàm ſanctis efficiuntur manibus ſacerdotum. Nec gehē næ vtique ignem vitare, nec promiſſorum remuneratione potiri, niſi per illlorum valemus officium.

Quiſquis igitur non penitus eſt excæcatus & amēs, facilè videt, his ſanctis patribus & toti Eccleſiæ ſecurius ac magis credendum eſſe, quàm vobis excucullatis et perfidis deſertoribus, qui meris calumnijs & peruerſis ſcripturæ ſēſibus, Eccleſiæ ritus & myſteria impugnatis. Falſa ſunt itaque omnia, quæ tu in primo concludis contra ſacerdotium

Quinq; Muſ. cōcluſiones falſæ.

noſtrum

noſtrum ſermone, falſum eſt ſanè, illud, hominum eſſe figmentũ: cùm ſit Sacramentũ Dei, & inſtitutũ Chriſti, vti contra Parmenianum Donatiſtam teſtatur Auguſtinus, Quem tu calumnioſiſſimè contra ſacerdotiũ & Miſſam allegas. Falſum item eſt, Miſſam eſſe mendaciũ, & non propiciationis officiũ: Iuſtius enim credimus nos Dionyſio Pauli diſcipulo, qui eam vocat, iuxta inclytũ præceptorem ſuum (vt ait) Sacramentorum conſummationẽ, eo quòd cætera ſacrarũ rerum ſigna Diuinis conſummãtibúſque huius muneribus perficiuntur. Falſum præterea eſt quòd per miſſam noſtram fiat iniuria ſanguini reconciliationis. Is enim in Miſſa præcipuè recolitur ac veneratur. Sic enim ait ſanctus Martyr & Põtifex Alexãder ille Quintus à Petro: Talib⁹ hoſtiis delectabitur et placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enĩ in ſacrificiis maius eſſe poteſt

Aug. cõtra Parme. li. 2. cap. 13.

Dionyſ. de eccleſia. hierar. cap. 3.

III.

Alexander papa in Epiſt. prima.

quàm corpus & ſanguis Chriſti, Nec vlla oblatio hac potior eſt,ſed hæc omnes præcellit.Hæc verba ante M.CCCC.
IIII. annos ſcripta ſunt. Falſum itidem eſt, quòd Chriſto mediatori honor per miſſá ſubtrahatur.Cùm ipſe in ea principalis ſit ſacerdos & hoſtia.Ipſius enim verbis conficiuntur ea Sacramenta,De quo ſic ait Gregorius Papa: Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora,ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri,In illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe,ſummis ima ſociari,et terrena cœleſtibus iũgi. Falſum denique eſt,per miſſam tolli,aut obſcurari fiduciã noſtram ad Chriſtum, tanquam ad mediatorem & propiciatorem noſtrum. Quando quidem in Chriſti memoriam & laudem præcipuè miſſa peragitur,ſicut ipſe iuſſit, in ſui memoriam fieri.

Gregori in Dialo li. 4. cap. 28.

V

Matt. 26

Quod autem prolixa cauillatione reprobas,ſacerdotem in Miſſa mediatorẽ

dici,

dici,facile diſſoluitur?Quia nemo dicit eum mediatorem per redemptionem. Id enim honoris ſoli Chriſto tribuitur, De quo ait Apoſtolus: Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Neque tamen impium eſt dici ſacerdotem in miſſa mediatorem inter Deum & homines,per interceſſionem & ſacerdotale officiũ & miniſterium. Stat enim in altari loco Chriſti, qui principalis eſt ſacerdos & autor ſacrificii,quod Chriſti verbis à ſacerdote conficitur, vt ait Ambroſius. Nam & Paulus ad Corinthios ait: Omnia autẽ ex Deo,qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis.

Quõ ſacerdos: mediator dicitur.

1.Tim.2

Ambro. de initiãdis myſt cap.5.

2.Cor.5

Eſt itaque ſacerdos in miſſa mediator non per redemptionem,vt Chriſtus,ſed per orationem et ſacrificandi miniſterium,dũ pro populo Deum orat,& reconciliationis hoſtiam in Chriſti me-

Sacerdotis eſt Deũ orare pro populo,

moriam Deo patri offert. Quemadmodum vtriuſque Teſtamenti ſcriptura
Leuit.4 docet, Scriptum eſt enim in Leuitico: Si populus peccauerit, offeret pro peccato ſuo vitulum, et rogante pro eis ſacerdote, propicius erit eis Dominus. Vitulus autem ſicut & agnus, Chriſti typum gerebat, Quemadmodum Eſychius & Cyrillus declarant. Sic & Aaron, iuſſu
Nũ.16 Moyſi, ſæuiente in populo per incendiũ in ira Dei, obtulit Thymiama, & ſtans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, et plaga ceſſauit. Sic &
Deut.5. Moyſes ipſe ſequeſter & medius fuit inter Deũ & populum in monte. Sic &
2.Cor.9 Paulus ait: Deus poſuit in nobis verbũ reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fũgimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Eſt itaque iuxta ſcripturas officium & miniſterium Sacerdotis orare pro populo, & offerre pro peccatis eorum.

Quan-

Quanquàm verò mediator dici queat ſacerdos pio ſenſu, rariſſimè tamen ita dicitur. Frequentius autem miniſter altaris dicitur, iuxta illud Apoſtoli. Qui altari deſeruiunt, cũ altari participant. Vos autem noui Chriſtiani altaria diruitis, ſacrificiũ blaſphematis, & ſacerdotium abnegatis: Cùm nullam prorſus habeatis ſcripturam, quę tantas impietates permittat, ſuadeat, aut excuſet. 1. Cor. 9.

Quod autem tam friuolè negas, verbum Pauli ad Hebręos quinto de ſacerdotio noſtro intelligi poſſe, facis nõ minus procaciter & impudenter ibi quàm facis vbique fermè, dum noſtra impugnas & blaſphemas myſteria. Certè Chryſoſtomus & Theophylactus affirmant, Paulum ibi proponere quædam noſtro & Iudæorum ſacerdotio communia. Qualia ſunt, pro hominibus conſtitui in his quæ ſunt ad Deum, & offerre dona & ſacrificia pro peccatis. Neque negare potes, ea verba à

Friuola expoſitio Pauli Heb. 5

Paulo non ad incredulos Iudæos,ſed ad fratres ex Hebræis in Chriſtũ credentes ſcripta eſſe. Qua igitur frõte negas ea pertinere ad Chriſtianorũ ſacerdotium? Neque dicit ibi,ſolus ſũmus pontifex,vt tu falſò addis,ſed ait generatim omnis Pontifex. Nos igitur deprauationes tuas miſſas facimus, & Eccleſiæ (quæ baſis eſt & columna veritatis) ſecurè credimus, quæ ſacerdotium hoc noſtrum ſemper habuit & approbauit, ex Chriſti & Apoſtolorum eius inſtitutione.

Loci ſcripturę pro ſacerdotio noſtro.

Quamuis vero aliquot ſcripturæ locos de miniſtris Eccleſiæ ex Paulo & ex actis Apoſtolorum loquaciter adducis, nullus tamen illorum negat aut prohibet ſacerdotium noſtum aut ſacerdotalem in Eccleſia ordinem & dignitatem (ſicut vos apoſtatæ impiè facitis) Quin potius atteſtantur & confirmant. Nam & apoſtoli & Doctores atque paſtores et preſbyteri erant ſacerdotes, ac Deo

ſacrificabãt. E quibus nominatim preſbyteros duplici honore dignos cenſet Apoſtolus, ſi bene præſint. 1 Tim. 5.

Presbyteros autem, quos non ſolùm Germania, ſed vniuerſa per orbem Eccleſia ſemper pro ſacerdotibus habuit, tu nequiter & doloſe in vulgari lingua, vt populum decipias, non ſacerdotes, ſed ſeniores Teuthonice interpretaris, tanquã non ab ordine & officio, ſed ab ætate Presbyteri dicantur. Quaſi verò Timotheus, cuius adoleſcentiã prohibebat contemni Paulus Preſbyter dici non potuerit. Cum tamen conſtet Paulum ipſum impoſuiſſe ei manus preſbyterij, hoc eſt ordinaſſe eum in presbyterum. Presbyteri. 1 Tim. 4

Verè igitur et tu ex illis vnus es, qui ſpeciem quidem pietatis habent, virtutem autem eius abnegãt, ſemper diſcẽtes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes: Qui reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, & reprobi circa fidem. Hæreticorũ malicia. 2. Tim. 3

fidẽ. Opto autẽ, vt attẽdas ad illud, quod mox, ſubiungit Apoſtolus: Sed vltrà nõ proficient. Si enim contra Eccleſiã finaliter proficere aut prȩualere non potuerunt Arriani, qui permultos habuere doctiſſimos & eloquentiſſimos ſectæ ſuæ propugnatores Epiſcopos & presbyteros, atque etiam armatos et prȩpotentes Imperatores Conſtantium & Valentem, Regéſque non paucos bellicoſarum gentium ex Gothis & Vandalis: Quomodo præſumtis vos excucullati Monachi cõtra Eccleſiã prȩualere, cùm ſtent pro ea contra vos, omnes per orbẽ Epiſcopi et presbyteri Catholici, vnà cum Chriſtianiſſimis Principibus vniuerſis, qui vnanimiter & ſacerdotium et ſacrificium miſſæ agnoſcunt? Nec immerito: Nam vtrumque agnouerunt omnes retrò Epiſcopi Regéſq; & Principes, per tot ſæcula, continua vſque ad Apoſtolos ſerie, quicũque pro Chriſtianis vſquam, aut vnquam habiti fuerũt.

Excucullatorum vana fides.

Quare

Quare vos non pro veris Chriſtianis, ſed pro perfidis Mamaluchis (vt vulgo vocantur abnegatores fidei Chriſtianę) habendi eſtis, quam diu miſſam & ſacer dotium abnegatis. Nam & Chriſtum ipſum reuera ſimul abnegatis, qui Miſſę pręcipuus eſt ſacerdos & ſacrificium, vt dictum eſt.

DE SACRIFICIO Miſſæ. Cap. II.

IN altero ſermone tuo exagitas, Muſcule, pietatem Eccleſiæ, qua in celebratione miſſarũ vtitur. Quoniam verò nihil affers noui, ſed Lutheri et Zuinglij blaſphemias repetis & inculcas populo, ad quas iam pridem reſponſum eſt à Roffenſi, à Clichtoueo, ab Eckio, à Saſgero, à Vehe et id genus aliis doctiſſimis Theologis: atque etiam à paruitate mea in pleriſque elucubrationibus, partim Latinè partim Teuthonicè editis: Non opus eſt prolixa hîc reſponſione, Quandoquidem præcipuum

omnium

omniũ cauillationum veſtrarum contra Miſſam fundamentum (quod nihil recipiendum ſit niſi Biblicis ſcripturis expreſſum) iam ſupra radicitùs eſt ſubuerſum. Quare quàm potero breuiſſimè reſpondebo.

Verba canonis miſſe. Primum igitur reprehendis Canonẽ ſacrum, propter hæc verba: Hæc dona, hæc munera, hæc ſãcta ſacrificia illibata: tum quod in plurali ſtant numero, tum quod vane videtur multiplicata. Ideo in margine libri addis: Vide vanitatem verborum. Reſpondeo: Non ſunt hæc verba vanitatis, ſed veritatis ex euãgelio & ex Paulo deſumpta. Ait enim ipſe Dominus: Si offers munus tuũ ad altare. Et paulus: Vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Nec vanè multiplicãtur, ſed deuotionẽ excitant, & myſterium hoc ineffabile eſſe deſignant, quod nullis verbis ſatis digne aut plene explicari queat.

Math. 5. Heb. 5.

Dicuntur autem pluraliter, quia duo ſunt, & ab inuicem diſtincta, Ante con-

ſecrationem quidem duæ ſubſtantiæ, panis & vinum:poſt conſecrationẽ duæ ſpecies,panis et vini, ſub quibus continentur corpus & ſanguis Chriſti, In quæ panis & vinum ſubſtantialiter cõuertuntur. Habes nunc? Si plura deſyderas, lege Innocentij Tertij libros de ſacro altaris myſterio, Et autorem Rationalis Diuinorũ, atque Abbatẽ Tuitienſem. Mihi certe dignus non videris, vt de his myſteriis prolixè tibi reſpondeatur,qui omnia derides,ſuggillas,inuertis & blaſphemas, velut infidelis canis,& porcus immũdus. Ait enĩ Dominus:Nolite ſanctũ dare canibus.& cæ. Innocẽtius lib. 3.cap.3 Rationale lib.4. Rupertus de diuinis offi.lib. 2.cap. 6. Matth. 7.

Secundo. Inuertis nequiter & verba & ſenſum ſcripturæ de Melchiſedech, contra ſanctorum etiam antiquiſſimorum Patrum expoſitionem. Ambroſius enim inde probat noſtra Sacramẽta Iudæorum Sacramentis & antiquiora & præſtantiora eſſe, quia Melchiſedech, qui typum Chriſti geſſit, ante Moyſen Ambroſ. de initiandis myſt. cap. 8.

et

Cypria. ad Cōcilium Augu. de doc. Chriſt. lib. 4. ca. 21.

Verba Lutheri de ſacrificio Melchiſedech.

& ante manna panem & vinum obtulit Deo pro Abraham. Et Auguſtinus allegat Cyprianum, qui affirmat hoc idem. Et ipſe Aug. ſuper Pſalmum: c i x. id ipſum inſinuat. Quod ait fideles quidẽ noſſe, Catechuminos verò nõdum noſſe. Quare autem ſic dicit? Quia Catechuminis non licebat intereſſe ſacrificio, ſicut fidelibus licuit, qui cum ſacrificāte communicabāt ſacerdote. Quid verò dices ad hæc Lutheri (quem virum Dei vocas) verba ſuper eundem Pſalmũ: Quid eſt quòd Melchiſedech panẽ et vinũ obtulit pro Abrahā? Ibi expreſſit (inquit) ſacerdotium Chriſti in hoc tempore vſque ad nouiſſimum diem, quod abſconditum Sacramentum altaris ſacri corporis & precioſi ſanguinis ſui offert in Eccleſia. Quid ad hæc dices Muſcule? quid inſuper dicere poteris ad ea quæ noſtri vobis plurima de hoc obiecerunt in diſputationibus Badenſi & Bernenſi? Quæ præterea

produ-

produxerunt doctiſſimi Theologi, Roffenſis, Clichtoueus, Eckius, Pighius &cæt.

Friuolum ſanè eſt, quod de Benedictione obtendis. Quãdoquidem & rex Salomon, qui ſacerdos non erat, omni eccleſię Iſraël publicè benedixiſſe legitur, & de hoc eum nemo reprehendit. Saül verò rex, quod holocauſtum per ſeſe, non per ſacerdotem obtulerat domino, duriter à Samuele reprehẽſus eſt. Similiter & Ozias rex, non ſolùm reprehenſus fuit à ſacerdotibus, ſed & Lepra percuſſus à Deo, quòd Thymiama offerre præſumpſerat: Longè igitur clarius certiúsque ac magis propriè typum geſſit Christi Melchiſedech, qui rex erat et ſacerdos, offerendo panem & vinum in ſacrificium Deo pro Abraham quàm benedicendo Abraham.

Benedictio & oblatio. 3 Reg. 8

1 Reg. 13

2. paral. 26.

Neque potuiſtis vos hactenus oſtendere nobis, quomodo Chriſtus fuerit ac in ęternum ſit ſacerdos ſecundum ordinem

Melch. Gene. 14. nem Melchiſedech, qui panem & vinũ obtulit, quia erat (vt ait textus) ſacerdos altiſſimi, niſi dicatis nobiſcum, Chriſtũ in cœna vltima et obtuliſſe ſimiliter, et ſacrificiũ pariter & ſacerdotium noſtrũ inſtituiſſe, quando dixit Apoſtolis ſuis: Hoc facite in meam commemorationẽ. Quid igitur cõtendis vanè contra nos, qui non aliud docemus & tenemus, quã docuerunt ac tenuerũt omnes retrò Doctores Eccleſiæ, quicũque Chriſtiani fuerunt? E quibus duo præcipuè vobis merito ſatis facerent, ſi excæcati odio & philautia non eſſetis, Cyprianus & Auguſtinus, quos Lutherus & tu Papæ et omnibus Papiſtis (vt dicitis) longiſſimè præfertis. Quare igitur vobis ipſis potius quàm illis hac de re creditis? Nũ ignoratis illud Salomonis, Ne ſis ſapiens apud temetipſum? Non video equidem aliam cauſã, niſi quod putatis, vos nulla alia re magis nocere poſſe Papę et õni clero, niſi tolẽdo Miſſã ab Eccleſia.

Cauſa præcipua impugnationis. Miſſæ.

Sed

Sed audi, quæſo, ſancta & ſimplicia verba Bonauenturæ doctoris deuotiſſimi & charitate ſeraphici, de hoc Sacramento: Quid, inquit, dubitationis de hoc Sacramento remanet, quod à Chriſto tam expreſſe traditum, ab Apoſtolis prædicatũ, à ſanctis patribus orthodoxis tot Centenariis annorum frequentatum, tantiſque ceremoniis & miraculis, quaſi teſtimoniis palpabilibus confirmatum vides. Tolle hoc ſacramentum ab eccleſia, & quid erit in mundo, niſi error & infidelitas? & populus chriſtianus quaſi grex porcorum diſperſus, & Idolatriæ deditus, ſicut expreſſe patet in cæteris infidelibus. Sed per hoc ſtat eccleſia, roboratur fides, viget Chriſtiana religio & diuinus cultus. Vnde inquit Chriſtus: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi, ſcilicet in hoc precioſo ſacramento. Hæc ille ſimpliciter, abſque vllo in vos odio, qui ccc. penè annis ante veſtras in domino

Bonauẽtura de præparatione ad Miſſam.

mortuus eſt inſanias.

Non panis & uinum, ſed Chriſt⁹ mactatur myſterialiter.

Vanè autem obiicis nobis, panem & vinum non eſſe ſacrificium quo remittantur peccata & redimantur animæ. Nos enim hoc nuſquam diximus aut ſcripſimus. Tuis igitur potius obiice & tibi ipſi, quia negatis panis & vini ſubſtantias in corpus & ſanguinẽ Chriſti (quod nos cum tota Eccleſia firmiter credentes dicimus) conuerti. Nos virtutem Miſſæ, non pani & vino, quæ tranſeũt & ſubſtantialiter mutantur, ſed corpori & ſanguini Chriſti, in Cruce oblatis corporaliter, et in altari myſterialiter tribuimus. Quemadmodum deuotiſſimè dixit autor proſæ de beata virgine, Aue prçclara. Agnum regnantem cœlo æternaliter, reuocamus ad aram mactãdum myſterialiter. Vaniſſimum eſt igitur commentum hic tuum de Agape, & iis quæ à populo ad altare offeruntur. Nos enim illis nequaquã tantũ virtutis tribuimus, quantũ corpori & ſanguini

Chriſti

Chriſti,quę myſticè in memoriam paſſionis & mortis eius offerimus.Et credimus firmiter, ea veraciter & eſſentialiter in propria ſubſtantia ſua adeſſe in altari, ſicut in cruce fuerunt, licet alius ſit in altari quàm in cruce offerendi modus.

Sacrificium laudis.

Quæ deinde aſſeris de ſacrificio laudis et ſi non ſunt per totũ impia aut erronea,tibi tamẽ apud Lutheranos et Zuinglianos tuos dedecori ſunt, quia contraria ſunt iis,quæ Smalcaldiæ publicè determinaſtis. Ibi enim reprehendiſtis eorum quoque ſententiam, qui dicebãt opus miſſæ bonum eſſe, non vt ſacrificium & oblationem, ſed tanquam memoriam Chriſti, & gratiarum actionem (quam tu hic Euchariſtiam vocas) loco Eccleſiæ.Et dixiſtis hoc humanę ſapientiæ commentũ eſſe quo plurimi in omnibus Nationibus ſeducantur Concluſiſtis itaque ibidem, Duas eſſe de Miſſa opiniones impias,vnã quod miſſa ſit o-

pus aliis meritorium ,ſicut Iudęi atq; Pagani ſua exiſtimauerunt ſacrificia. Al teram , quòd Miſſa ſit gratiarum actio, qua honoretur Deus ex opere operato. Quare noluiſtis vllam admittere differentiam inter ſacerdotis & laïcorum communionem . An tu horum oblitus es Muſcule? An fortè ab illa deſciuiſti interim ſentẽtia? At video te nihilo meliorem interea factum.

Quod verò Chryſoſtomum & Auguſtinum adducis, quod & ipſi dixerũt ſacrificium laudis,facile quidem admitto,ſed non in eo ſenſu,quem tu prætendis. Tu enim ita dicis ſacrificium laudis & gratiarum actionis, vt ſacrificium & oblationem corporis & ſanguinis Chriſti eſſe neges,quod illi nequaquam fecerunt,ſed contrariũ,vbique affirmauerũt. Hæc enim ſunt verba Chryſoſtomi,ſuper Pauli ad Hebræos epiſtolam Homilia. xvii.

Nónne per ſingulos dies offerimus?

Offerimus quidem,ſed ad recordationẽ facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, nõ multæ. Quomodo vna eſt & nõ multæ? Et quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autẽ ſacrificium exemplar eſt illius. Idipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper idipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium: alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt. Nequaquam, ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus: Vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus eſt & non multa corpora: Ita etiam & vnum ſacrificium. Idem in alia Homilia ſic ait: Et nũc (inquit) ille præſto eſt Chriſtus, qui illam ornauit menſam, Ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione menſæ Domini corpus Chriſti facit & ſanguinem, ſed ille qui crucifixus eſt pro no-

Chryſo. de ſacrificio Miſſæ.

Homil. de proditione Iudæ.

bis Chriſtus. Sacerdotis ore verba pro feruntur,& Dei virtute conſecrantur et gratia.Hoc eſt(ait)corpus meum . Hoc verbo propoſita cõſecrãtur.Et ſicut illa vox quæ dicit : Creſcite & multiplicamini, & replete terram , Semel quidem dicta eſt ,ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante materia.Ita et vox illa, ſemel quidẽ dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſię,vſque ad hodiernũ diem, & vſque ad eius aduentum,præſtat ſacrificio firmitatem.

Chryſo. de digni tate ſacer.li. 3. c.4.

Sed & hæc ſunt Chryſoſtomi verba: O miraculum O Dei in nos beneuolentia,Qui ſurſum ſedet ad dexteram patris,ſacrificii tamen tempore,hominum manibus continetur , traditúrque lambere cupientibus eum , & cum veneratione complecti.Ecce quomodo vbique iſte eloquentiſſimus pater et Patriarcha quondam Conſtantinopolitanus ſacrificiũ & oblationẽ refert præcipue,nõ ad verba laudis & gratiarũ actionis , ſed ad

corpus

corpus & ſanguinem Chriſti. Quemad modū & Cyprianus Cartaginēſis & Alexander Romanus.eloquentiſſimi Martyres & Pontifices, atque vniuerſa per orbem Eccleſia,ante eum fecerant.Nolim tamen negare Laudis quoque & gratiarum actionis ſacrificium & in ſcripturis & in patribus perſæpe inueniri, vt dictum eſt ſuprà,vbi de generali Chriſtianorum ſacerdotio agebamus. Non ſumus ita procaces aut peruicaces ſicut vos,qui vni alicui vocabuli ſignificationi pertinaciter inhærentes, aliam nō admittitis,quantumuis etiam notam & in tota Eccleſia vſitatā,ſed impudēter negatis,ac tollendam eſſe cenſetis.

Cum igitur Auguſtinum in pleriſq; locis de ſacrificio laudis & gratiarum actionis teſtificantem adducis,nihil cōtra nos & Miſſæ ſacrificium efficis:Laudis enim ſacrificium nequaquam negamus, neque illud Miſſæ repugnat ſed in omni miſſa ſimul cum ſacrificio &

 oblatione

oblatione corporis & ſanguinis Chri-
ſti peragitur : Etenim verba meá, quæ
inter alia multa, aduerſus Lutheri Ca-
ptiuitatẽ Babylonicá ante annos XXII.
ſcripſi, ſic habent: Nos cuncta bona no
ſtra Deo, à quo recepimus, recte offeri-
mus, Tu ſolam Miſſam offerri Deo pro
hibes. Quum reuera nullum ſit aut vn-
quam fuerit in terris apud mortales aut
opus ſanctius, aut ſacrificiũ ſublimius,
aut myſterium ſacratius, aut hoſtia pu-
rior, aut oblatio acceptabilior : In qua
caſta exhibemus corpora noſtra, corda
contrita & humiliata, Laudis item ſacri
ficia, in hymnis & canticis, fidem in Epi
ſtola & Euangelio, ſpiritum contribu-
latum in confeſſione præuia, orationes
in collectis & aliis precibus, mentis de-
uotionem in actione Canonis, Panem
& vinum in Sacramento ante conſecra
tionem, Carnem & ſanguinẽ Ieſu Chri
ſti in ſacrificio et immolatione myſtica
poſt conſecrationem, pacem & vnitatẽ,

Verba Cochlæi Contra. Capti. Baby. Luth.

in communicationis myſterio. Deniq; gratiarum actionem tum in prefatione, tum in miſſæ complemento: Atque hæc omnia in laudem Dei, non in noſtram referimus. Hæc ibi. Quæ certe & ſcripturis & patribus longe magis conſentanea ſunt, quàm ſunt friuolæ negationes & impię in Miſſam blaſphemię veſtrę. Omne itaq; genus ſacrificii in Miſſa reperitur. Non immerito igitur pro ſanctiſſimo ac perfectiſſimo ſacrificio habetur.

Quoniam vero exiſtimas Auguſtinũ tuæ conſentire ſententiæ vt hunc tibi errorem eximam, & falſam gloriationẽ excutiam, Ex duobus duntaxat præclaris ac magnis voluminibus eius aliquot recitabo locos, qui non tuam, ſed noſtram ac totius Eccleſiæ ſententiam comprobant. Magnum ſanè opus eius eſt Expoſitio pſalmorum, è quo breuitatis gratia ea duntaxat referam, quæ ſuper titulum Pſalmi XXII. ad populum

lum

lum locupletiſſimè diſſeruit, non tamē omnia, ne dimidiam quidem eorū partem, quia breuis eſſe cupio. Etenim titulus Pſalmi ſic habet: Pſalmus Dauid, cùm mutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum & abiit. Hunc titulum Auguſtinus doctiſſimè exponit de hoc ſacrificio eccleſiæ, in quo Dauid noſter, Chriſtus Ieſus, qui verè manu fortis interpretatur, vultum ſuum mutauit coram Abimelech, hoc eſt, coram populo Iudaïco. Abimelech enim interpretatur, patris mei regnum. Et is in libro primo Regū dictus eſt Achis, quod interpretatur: Quomodo eſt, vtrunque nomen refert ad Iudæos, qui erāt de regno Dauid, qui Chriſti ſecundum carnem pater in Euangelio dictus eſt: & per ignorantiam & incredulitatem interrogabant: Quomodo eſt, quando dicebat eis Ieſus: Caro mea verè eſt cibus &c.

Titulus Pſalmi. 33.

1. Reg: 21.

Luc. 1. Ioh. 6.

Ait igitur: Erat autem (vt noſtis) ſacrificinm Iudæorum anteà ſecundum ordinem

Verba Auguſt. de ſacrificio.

dinem Aaron, in victimis pecorum, & hoc in myſterio. Nondum enim erat ſacrificium corporis & ſanguinis domini, quod fideles norunt, & qui Euangelium legerunt. Quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo ſacrificia: illud ſecundum ordinem Aaron, & hoc ſecundum ordinem Melchiſedech. Scriptum eſt enim: Iurauit dominus & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. De quo dicitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech? De Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quis erat Melchiſedech? Rex Salem. Salem ciuitas fuit antea, quæ poſtea (ſicut docti prodiderunt) Hieruſalem dicta eſt. Ergo antequam ibi regnarent Iudęi, ibi erat ille ſacerdos Melchiſedech. Qui ſcribitur in Geneſi, Sacerdos Dei excelſi: Et tantus erat Melch. à quo benediceretur Abraham. Protulit

Pſal. 109.

panem et vinum ,& benedixit Abrahã, & dedit ei decimas Abraham . Videte, quid protulit ei quem benedixit. Et dictũ eſt ei poſtea, Tu es ſacerdos inęter. ſe.ord. Melchiſedech. Dauid hoc in ſpiritu dixit longe poſt Abraham. Temporibus autem Abrahę fuit Melchiſedech De quo alio dicit, Tu es ſacerdos inęter ſe.or. Melchiſedech, Niſi de illo, cuius noſtis ſacrificiũ? Sublatum eſt enim ſacrificium Aaron, & cœpit eſſe ſacrificium ſe.ord. Melch. Ergo mutauit, neſcio quis vultum ſuum. Qui eſt iſte neſcio quis non ſit, & ſcio quis. Notus eſt enim. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, In corpore & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Vnde autem commẽdauit corpus & ſanguinem ſuum? De humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur nec biberetur. Et poſt pauca. Sed ſemetipſum (inquit) exinaniuit, vt manducaret panẽ angelorũ homo, formã ſerui accipiens, & habitu

Tu es ſacerdos inæt. ſe. ordinẽ Melch.

inuentus

inuentus vt homo. Humiliauit ſe, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vt iam de cruce commendaretur nobis caro & ſanguis Domini, nouum ſacrificium. Quia mutauit vultum ſuum coram Abimelech, id eſt, coram regno patris. Regnum enim patris, regnum erat Iudæorum. Quomodo regnum patris? regnum Dauid, regnum Abrahæ. Nam regnum Dei patris, magis eccleſia quàm regnum Iudæorum. Sed ſecundum carnem regnum patris populus Iſraël. Demonſtratur namque ſecundum carnẽ pater domini eſſe Dauid: ſecundum Diuinitatẽ autem Chriſtus non filius, ſed dominus Dauid. Iudæi verò Chriſtum ſecundum carnem norunt, ſecundum diuinitatem non norunt. Et rurſus: Mutauit ergo vultum ſuum coram Abimelech. Et dimiſit eum, & abiit. Quem dimiſit? Ipſum populum Iudæorũ. Dimiſit & abiit. Quæris modo Chriſtũ apud Iudęos & nõ inuenis.

Nouum ſacrificiũ de cruce commẽdatum.

Math 22.

Quomodo Chriſtus mutauit vultum ſuũ.

Vnde

Vnde dimiſit & abiit ? Quia mutauit vultum ſuum : Habẽtes enim illi ſacrificium ſecundum ordinem Aaron non tenuerunt ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech, & amiſerunt Chriſtum, Et cœperunt eum habere Gentes, quo non miſerat ante præcones. Reliqua huius Tituli myſteria, quæ prolixe declarat Aug. breuitatis gratia omitto, quã tumuis ſint pulchra & lectu digna. Hæc autẽ recito, vt tu Muſcule, tuũ agnoſcas errorẽ de ſacrificio Melchiſedech in pane & vino, quod impudenter negaſti.

Alterum Auguſtini opus non minus illo præclarum, ſunt XXII. libri de Ciuitate Dei, omni eruditionis genere referti, In quorum Decimo multa de ſacrificiis docet, De eo autem, quod vos noui Chriſtiani negatis, ita diſſerit. Tota (inquit redempta ciuitas, hoc eſt, congregatio ſocietáſque ſanctorum vniuerſale ſacrificium offertur Deo per ſacerdotẽ magnum, Qui etiam ſeipſum obtulit in

Aug. li. 10. cap. 6.

paſſione

paſſione pro nobis,vt tanti capitis corpus eſſemus ſecundum forman ſerui. Hanc enim obtulit, in hac oblatus eſt, quia ſecũdũ hanc mediator eſt, in hac ſacerdos,in hac ſacrificiũ eſt.Et poſt pauca.Hoc eſt(inquit)ſacrificiũ Chriſtianorũ.Multi vnũ corpus ſumus in Chriſto. Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia,vbi ei demonſtratur,quod in ea oblatione quam offert,ipſa offeratur. Item in alio capitulo:Vnde verus (inquit)ille mediator in quantum formã ſerui accipiens, mediator effectus eſt Dei & hominnm homo Chriſtus Ieſus: Cum in forma Dei, ſacrificium cum patre ſumat cũ quo & vnus eſt Deus:tamen in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe ,quàm ſumere. Ne vel hac occaſione quiſquã exiſtimaret, cuilibet ſacrificandũ eſſe creaturæ. Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens,ipſe & oblatio, Cuius rei Sacramẽtum quotidianũ eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium,

Sacrificiũ altaris ipſe Chriſtus Ibidem ca.20.

Cùm

Cùm ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus:tam ipſa per ipſum,quàm ipſe per ipſam ſuetus offerri.Huius veri ſacrificij multiplicia variaque ſigna erant priſca ſacrificia ſanctorum.Cùm hoc vnum per multa figuraretur,tanquam verbis multis res vna diceretur,vt ſine faſtidio multum commendaretur. Huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt. Hæc Aug.Ex quibus manifeſtè conuincitur veſtra impietas, quæ Chriſtum in ſacrificio altaris negat.Chriſtiani igitur non eſtis, quia chriſtianorũ ſummum, verum & perfectiſſimum ſacrificiũ (vt Aug.aſſerit) apoſtaticè abnegatis. Cæterùm quod verba Canonis, quæ poſt conſecrationem dicuntur, de ſacrificio & pane vitæ æternæ irrides, & abſque omni ſcriptura & ratione reprehendis, quid quæſo aliud eſt quàm apoſtatica quædam impietas & impudentia? Ea enim Canonis verba non ſunt à nobis

Verba Canonis

confi-

confiᴄta,ſed ab apoſtolis potius tradita. Nā et ab Ambroſio recitātur: Offerim⁹ (inquit) tibi hanc immaculatam hoſtiā rationabilem hoſtiam, incruentam hoſtiam, hunc panem ſanctum, & calicem vitæ ęternæ: Et petimus & precamur, vt hanc oblationem ſuſcipias in ſublimi altari tuo, per manus angelorum tuorū, Sicut ſuſcipere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel &c.

Ambro. de ſacramē. li. 4. cap. 6.

Quod autem negas Chriſtum in vltima cœna ſacrificium corporis & ſāguinis ſui peręgiſſe & agendum inſtituiſſe, tibi cum Luthero & omni nouorū hæreticorū fæce cōmune eſt. Quid habetis autem contra hanc omnium patrum ſētentiam, niſi elumbe & friuolum illud falſitatis fundamentum, quod non reperitur in Euangeliſtis nec in Paulo? Reſponde autem prius ad ea, que ſuprà contra illud obieci: Quia non ſunt omnia ſcripta, nec decuit omnia myſteria vulgo propalarę. Nos tamen aperta habe-

Falſum fundamentū.

mus verba & mandatum Chriſti de hac inſtitutione, Hoc facite in meã com memorationem. Non enim inſuetum eſt, etiam in ſcripturis, facere pro offerre aut ſacrificare accipi, vt eſt facere hircum aut vitulum, facere holocauſtum aut ſacrificium, præſertim apud LXX. interpretes. Quod & Poëtarũ autoritate confirmatur. Vt in illo Vergilij: Cũ faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

Miſſæ ſacrificiũ in cœna inſtitutũ Rupertus li. 2. cap. 10. Pſal. 29.

Audi ſaltem quid ſentiat de hac Chriſti oblatione et inſtitutione Rupertus Abbas Tuitienſis, quem vos propter libros de victoria verbi Dei ante nos in lucem produxiſtis. Is igitur in libris de Diuinis officiis ſic ait: Aufer à cœtu Eccleſiæ quotidianas ſaluatoris noſtri huiuſmodi exequias, & vide quàm merito dicat ipſe Saluator: Quæ vtilitas in ſanguine meo? Refrigeſcente enim ea, quæ hoc modo nunc vbiq; calet, eius memoria, refrigeſcet vniuerſa charitas, muta erit fides, claudicabit ſpes, conticeſcet

magnus ille clamor ſanguinis iuſti Abel, qui per traditum tanti ſacrificij ritum quotidie reparat vocem, quotidie laxat os bibentis,& vociferãtis terræ, ſcilicet eccleſiæ, maledictum coarguẽs Caïn, & maturã indignè fuſi ſanguinis vindictã repoſcens. Calente ergo memoria tã celebri, charitas Chriſti cõcaleſcit, perſtat ſuper fundamentum ſuum ædificium fidei, ſpes quotidiana peccatorum remiſſione reuiuiſcit. Et in alio libro.

Tũc, inquit, primũ officio ſui functus eſt ſacerdotij, finẽ imponens ſacerdotio veteri, & poſt eſum agni typici, ſeipſum (qui verus eſt agnus) Deo patri ſuis offerẽs manibus. Ipſum nãq; corpus, quod occiſum eſt ab impiis: ipſum eundẽ ſanguinem, qui in cruce fuſus eſt, ipſe tunc ſempiternus ſacerdos obtulit. Nũc itaq; verè de tẽplo Iudæorũ exiuit, & eorũ ſacrificia dereliquit, ſeque in ſacrificio panis & vini ita abſcondit, vt ab impiis omnino agnoſci non valeat quid ibi ſit. Lib. 5. c. 15. Oblatio Chriſti in cœna.

Libro. 6 cap. 22. Et iterũ in alio libro: Dominus (inquit) noſter nõ tunc ſolùm, vel tunc primùm immolatus eſt, quando à Iudęis in cruce ſuſpenſus eſt, ſed & pridie quàm pateretur, quando accipiens panem & calicem benedixit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei. Suis manibus immolatus eſt: ſuis ipſe manibus nobis, vt iugiter immoletur, agnus commendatus eſt. Item in Matthæum de gloria & honore filij hominis diſſerens (quod ego opus difficulter obtinui ex monaſterio S. Laurentij Leodienſi, dum Coloniæ in Ruſticorum tumultu exulans & illud & quędam alia opera eius euulgarem) ſic ait: Denique dominus Ieſus Chriſtus, animalium rationalium paſtor bonus, extra caſtra, id eſt, extra ciuitatem paſſus, & omnes anteriores iuſtos ſiue electos, & peccatorum pœnitentiũ primitias, ſcilicet latronem qui cum eo crucifixus fuit, tanquam vitulos & hir-

In euãg: Matth. li. 11.

cos ſuo ſanguine mundauit:intus autem cum arietibus,id eſt, cum Apoſtolis,no cte pręcedenti,ipſe verus aries,poſt cœnam Typicam paſchalis agni, Sacramẽtum corporis & ſanguinis ſui in holocauſtũ obtulit. Quod optime notũ eſt chriſtianæ ſiue catholicæ fidei. hæc ibi.

Memini me prætereà apud eundem autorem legiſſe pulchram rationem ex ſcripturis,cur neceſſarium ſit, confiteri ac dicere,quod Chriſtus in vltima cœna ſeipſum obtulerit:ſed locus ille mihi nunc nuſquam occurrit. Etenim de agno paſchali pręcepit lex,vt decimo die primi menſis tolleretur, & die XIIII eiuſdem menſis immolaretur ad veſperam.Iam ſi veritas figuræ reſpõdere debeat,oportet Chriſtum, verum agnum qui tollit peccata mundi,decimo die allatum eſſe (quod factum eſt in die Dominica palmarum,quando ſedens ſuper aſinam intrauit Hieroſolymam,vbi im molandus erat) & myſticè immolatum

Oblatio agni die XIIII. menſis. Exod.12

poſtea die xiiii. ad veſperam. Ea autem dies non fuit feria ſexta Paraſceue, quã-do in cruce ſacrificium peregit, quoniã illa fuit dies xv. menſis illius, ſed feria quinta, quando ad veſperam in vltima cœna myſticè ſeipſum obtulit.

Auguſtinus. 1. Reg. 21. Quod & Augu. confirmat ſuper Pſalmum XXXIII. exponens illud: Et ferebatur Dauid in manibus ſuis. Hoc verò fratres, inquit, quomodo poſſit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum literam, non inuenimus: In Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum: ferebat enim illud corp⁹ in manibus ſuis. Si de his adhuc plura exempla & antiquiora videre cupis, remitto te ad bene prolixos libros Veterani tempore noſtro

ſtro Militis Chriſti & fideles Eccleſiæ contrra omnes ſectas propugnatoris, Doct. Conradi Vuimpinæ, qui exacte penſiculans verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, ex iis clare oſtendit, Chriſtum ibi obtuliſſe Deo patri, eo quòd ait ibi, datur non dabitur. Hoc (inquit) ſub ſpecie panis tum in manibus habitũ corpus, nulli potuit pro Apoſtolis, niſi deo patri dare, quod aliud eſſe nequit quàm ſacrificare & offerre. Si hæc pauca tibi non ſufficiunt, addit ibidem multo plura. Alium præterea librum integrum hac de rè profunda eruditiõe ſcripſit in ſecũda parte ſuæ Anacephaleoſeos, nempe librũ quintũ, ad quem reſponde, ſi potes, quoniam hactenus nemo veſtrum illi reſpondit. Conſtã-ti. Vuimpina in Anacephaleoſi. lib. 6. propoſi. 7.

Recte quidem dicis, Muſcule, quod iuſſerit Chriſtus nos facere, quod ipſe fecit, non in cruce, ſed in cœna. Sed nimis prophanè de eo, quod Chriſtus in cœna fecit, loqueris: Quaſi abſq; cõſecratione Prophanæ locutiones.

& oblatione panem & vinum ſimpliciter acceperit, dederitque diſcipulis ſuis. Hoc enim quilibet paterfamilias in prophana facere poſſet cœna. Vbi verò ſcriptum eſt, quod tu dicis, corpus & ſanguinem Chriſti cum pane & vino tradi? Certè dominus non ait, cum pane eſt corpus meũ, cum vino eſt ſanguis meus, ſicut dicitis nunc vos adulteratores verbi Dei, ſed ait: Hoc eſt corpus meum. Quid hoc? vtique non panis (alioqui dixiſſet hic) ſed ea ſubſtantia, in quam panis ſubſtantialiter conuerſus eſt. Vos autem contra omnes patres & eccleſiæ doctores negatis ſubſtantialem illam conuerſionem, offenſi, credo, duræ pronunciationis vocabulo tranſſubſtantiationis (vt eſtis poëtici Theologi pulchra verba quærentes) quo antiqui patres vſi non ſunt. Neque tamen ſ. Thomæ Aquinatis inuentum eſt, vt nugatur Lutherus, ſed ante illum publicè receptum fuit in generali concilio Lateranen-

Tranſſubſtantiatio.

Extra. De ſumma Trinitate & fide Catho.

nenſi,omnium celeberrimo.Neq; enim eſt alia vox,quæ ſubſtantialem mutationem illam (vbi tantum ſubſtantiæ,nõ accidentia mutãtur)magis propriè poſſet explicare.

Cæterùm,quæ de ſemel oblato garris,nimis trita ſunt, & iam olim ſexcenties ad verum ſenſum explicata.Illud enim ſemel non de myſtica in altari, ſed de cruenta in cruce oblatione intelligi debet.Nimis craſſa eſt igitur veſtra per æquiuocationem argumentatio, dũ nullam facitis differentiam inter myſticã, quam Chriſtus in cœna fecit, & cruentam,quam in cruce peregit, oblationẽ. Futilis eſt igitur calumnia veſtra,quando dicitis nos in oblatione altaris, quæ myſtica,non cruenta eſt, rurſus crucifigere Chriſtũ. Quemadmodum in ſcholis vexantur pueri æquiuoco Canis vocabulo,vt ſtella dicatur latrare eo quòd canis dicitur.Ambroſius enim & Chryſoſtomus apertè vocant incruentam hoſtiam, Semel oblat⁹.

ſtiam,que in altari eſt. Vbi vero ſcriptũ eſt, quod Chriſtus à nullo alio niſi à ſe ipſo poſſit offerri? Nõne dixit ipſe diſcipulis ſuis, Hoc facite in meam commemorationem? Scriptum vero eſt in Propheta: Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Innocentius Papa Tertius triplicẽ breuiter ex ſcripturis commemorat Chriſti traditionem: Traditus eſt (inquit) à tribus, à Deo, à Iuda, à Iudæis. De prima traditione dicit Apoſtolus, proprio filio ſuo nõ pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ. De ſecunda ſcribitur in Matthæo: Querebat Iudas opportunitatem, vt eum traderet. De tertia legitur in Ioanne: Gens tua & pontifices tui tradiderũt te mihi. Prima fuit ex gratia, ſecunda ex auaritia, tertia ex inuidia. Sciebat enim Pilatus, quod ex inuidia tradidiſſent eum. Si hæc tibi nõ ſatis faciũt, dixi tibi iã ſupra ex Auguſtino, quod tam eccleſia per Chriſtũ, quã Chriſtus per Eccleſiã ſuetus eſt offerri.

Eſai. 53. Innocẽ. lib. 3. ca. 3. de myſte. alta. Ro. 8. Matth. 26. Iohan. 18. Augu. de ciuitate Dei li. 10. ca. 20.

Similiter

Similiter futile eſt argumentum tuũ quando dicis,fieri non poſſe,vt oblatum melius ſit offerente. At contrarium fieret, ſi à ſacerdote offerretur in miſſa Chriſtus. Vbi vero ſcriptum eſt, quod non poſſit oblatum melius eſſe offerente? Quanto putas melior erat Abraham quam innocentiſſimus Iſaac, quando iuſſit eum Deus ab eo in holocauſtũ offerri? Nec melior erat filio ſuo primogenito,impius Parricida,rex Moab,quem obtulit holocauſtum ſuper murum in obſidione.Nec meliores erant filiis ſuis ij patres,qui filios & filias ſuas immolauerunt dæmoniis, quia effundebant ſanguinem innocentem, vt ait Pſalmiſta. Nec meliores erant parentes Samuelis prophetę,& parentes pueri Ieſu,quando offerebant eos intemplo vt ſiſterent eos Domino.Friuolæ ſunt igitur huiuſmodi abſque omni ſcriptura nugacitates, per quas rem tantam abolere impudenter præſumitis.Nec minus nugax eſt ar-

Gene. 22.

4.Reg 3

Pſal.105

1.Reg. 1.

Luc.2.

Nugax argumẽtum. gumentum hoc tuum: Vbi remiſſio pec catorum facta eſt, ibi opus non eſt obla tione pro peccatis, At remiſſio peccatorum per vnicam Chriſti oblationem ſic facta eſt, vt alia propiciatione opus non ſit, quia nulla eſt amplius ira aut indignatio Dei poſt illam oblationem, Igitur fruſtra fit oblatio quotidiana per miſſas. Ad hoc verò argumentum (nam & à complicibus ſectarum Zuin glii et Lutheri non ſemel obiectum eſt, ne de hac glorieris inuentione) argutè

Ambroſius Pelargus. ac eruditè reſpõdet Doctor Ambroſius Pelargus in ſuo Hieroprepio. Ego hic breuiter reſponderim cum Apoſtolo:

1. Timo. 1. Vos aberrãtes à fide et in vaniloquium conuerſos non intelligere, neque quid loquimini neque de quibus affirmatis. Si enim nulla eſt amplius ira aut indignatio Dei, quare dicimus toties cum

Pſal. 6. & 37. Pſalmiſta: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me? Nũquid falſò dicimus Deo, Quid pro

peccatis

peccatis noſtris iuſte iraſceris? Si obii-
cias illud Ioannis de Chriſto: Quia i- 1. Iohan. 2.
pſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris.
Ego quod reliquum eſt ſuperaddam.
Mox enim ſequitur, Non pro noſtris au
tem tantum, ſed etiam pro totius mũdi.
Quid ergo? Nunquid infidelibus non
eſt iratus Dominus? At contrarium aſſe
rit idem Ioannes, dicens: Qui incredu- Ioan. 3.
lus eſt filio, ira Dei manet ſuper eũ. Sed
neque fidelibus cunctis ſemper placa-
tus. & nunquàm iratus eſt Dominus.
Certe fidelis & iuſtus erat Iob, & tamẽ Iob. 9.
recte dicebat deo: Verebar omnia opera
mea, ſciens, quod non parceres delin-
quenti. Corinthius ille peccator, quem 1. Corin 5.
Satanæ tradebat Apoſtolus in interi-
tum carnis, propter peccatum, inter fi-
deles erat. Quod ſi peccato eius non ira
ſcebatur Dominus, quare tradidit eum
Paulus Satanæ? Si iam omnes Deo recõ
ciliati ſumus, quomodo ait Paulus ad
Corint. Deus dedit nobis miniſterium

reconcilia-

2.Cor.5. recõciliationis. Obſecramus pro Chriſto,reconciliamini Deo.

Falſa ſecuritas. Malignissime itaq; nugamini, & falſam prædicatis populo de peccatis ſecuritatem. Quaſi nullum eis noceat peccatum,niſi ſola incredulitas,ſicut in Babylone ſua docuit Lutherus. Eſt quidem Chriſti in cruce oblatio,ſecundum ſeſe ſufficiens ad totius mundi reconciliationem,ſed niſi applicetur ea per fidem & Sacramenta, non operatur fructum & effectum reconciliationis. Cum igitur quotidie peccemus,& irã Dei peccando prouocemus,opus eſt nobis quotidiana pro peccatis oblatione et pœnitentia,qua Dei iuſtam placemus iram. Eodem namq; genere peccati(vt pote fornicatione aut adulterio)grauius peccat Chriſtianus quam infidelis. Ideo iuſtius iraſcitur ei Deus,propter adiectam & ſuperadditam ingratitudinem, Iuxta illud Petri Apoſtoli,quod de fidelibus dixit:Si coinquinationibus mundi rurſus

2.Petri. 2.

implicati

implicati ſuperātur, facta ſunt eis poſteriora peiora priorib⁹. Melius enim erat illis, nō cognoſcere viā iuſtitię, quā poſt agnitionē retrorſū conuerti ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Sicut & Paulus ad Hebræos ſcribens docet.

Tu vero ſic loqueris, quaſi Chriſtiani non poſſint peccare & iram Dei in ſe prouocare. Ais enim: In nouo Teſtamento eſt remiſſio peccatorum, & Chriſti, fidelium conſcientia purgata & inęternum ſanctificata. Quemadmodū & Iouinianus olim (quem vos in omnibus fere ſuis hæreſibus ſequimini) docuit. Contra quem ſanè tam multa ſcripturarum produxit teſtimonia S. Hieronymus, vt minime ſit opus hic hac de re prolixiori diſputatione. Vnicum itaque locum ex illo hic tibi obiecerim. Certe poſt crucē (inquit) in oratione Dominica dicimus: Dimitte nobis debita noſtra &c. Si non peccam⁹ poſt baptiſma.

Abuſus verborū Pauli.

Hieronī. cōtra Iouinianū, lib. 2.

C ur

Cur nobis poſcimus peccata dimitti, quę in baptiſmate iã dimiſſa ſunt? Quid oramus, ne intremus in tentationem, & vt liberemur à malo, ſi diabolus tentare non poteſt iam baptizatos? Atque ita in falſo ſenſu abuteris verbis Pauli fraudulenter, vt per falſam ſecuritatem eximas populo & exſuffles timorẽ Domini & ſtudium bonorum operum, ac pœnitẽtiæ medicinam, paſſioniſque Chriſti (quæ in miſſa recolitur) memoriam.

Erronea opinio.

Poſtremo, dum multa loquacitate reprobas eam opinionem, quæ Miſſæ aut communioni attribuit remiſſionem peccatorum, non tam cõtra nos catholicos quàm contra Lutheranos depugnas. Nõ enim noſtra, ſed Lutheri ſunt hæc verba ii ſoli dignè communicant eiſque parata eſt Miſſa, qui triſtes, afflictas, perturbatas, confuſas & erroneas habent conſcientias. Item, Secure accedit, quicunque peccatorũ ſuorum vexatur ſiue morſu, ſiue titillatione, Item: Hoc teſtamẽtum

Luther⁹ in Capti Babylonica.

Chriſti

Chriſti medicina vnica eſt prçteritorũ præſentium, & futurorum peccatorum: Contra hæc recte dicis tu hic, Non dixiſſe Chriſtum: Accipite & manducate aut facite hoc in remiſſionem peccatorum veſtrorum.

Nos ſane dicimus potius cum Paulo, Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat &c. Itaque peccatorem, vt et remittantur peccata, non mittimus ad communionem, aut ad Miſſæ celebrationem, ſed ad confeſſionem potius, vt per Sacramentum pœnitentiæ prius peccatorum remiſſionem conſequatur, ante quàm ad communionẽ aut ad Miſſam accedat. Recte igitur mones, Chriſtum de ſanguine ſuo, non dixiſſe, Qui pro vobis bibetur, ſed qui pro vobis effundetur. Sed non recte in nos ita dicis, quia iſta Lutheri ſententia nobis nunquam placuit.

Cæterum, quæ de memoria Chriſti cauillaris, nos inique peſtringunt. Nos enim

Memoria paſſionis Chriſti.

enim Miſſæ fructus non ſoli memoriæ paſſionis & mortis Chriſti, ſed potius oblationi & ſacrificio tribuimus. Non eſt ibi nuda memoria, ſed ſimul adeſt verum corpus ac ſanguis atque adeo totus Chriſtus, qui per Miſſam Deo pa tri offertur. Vos autem, qui negando tranſſubſtãtiationem & oblationem in miſſa, totam & ſacramenti & ſacrificii veritatem negatis, populum Dei nequiſſimè defraudatis non ſolum memoria, ſed etiam fructu paſſionis et mor tis Domini. Quid enim habetis in com munione veſtra, niſi memoriam cœnæ Domini? Nos autem Miſſam potius ad mortẽ & oblationem in cruce factã refe rimus, ſicut docuit Paulus dicens: Mortẽ Domini annũciabitis donec veniat.

1. Cor. 11

De Applicatione Miſſæ. Caput III

Quæ cõtra applicationem Miſſæ deblateras, neque ſcripturarum neque patrum verba ſunt, ſed ſcurrilia nugamenta, qualia è cathedra peſtilentium

deriſorum

deriſorum depromi ſolent. Contra quæ ſanè omnia vel vnus ex Paulo nobis locus ſufficere debet ac poteſt, ſiue iſte ad Corinthios: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei, Aut ille ad eoſdem, poſuit Deus in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto legatione fungimur, pro Chriſto obſecramus, reconciliamini Deo. Siue iſte ad Hebræos: Omnis pōtifex ex hominibus aſſūptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Quid aliud, quæſo, eſt, Applicare quàm pro hominibus myſteria diſpenſare, legatione fungi ad reconciliandum, & in his, quæ ſunt ad Deum conſtitui? Nempe vt proſit noſtra oratio et oblatio his, pro quibus fit à nobis, qui ad hoc Sacerdotes à Deo per legitimam & ſolennem vocationem & ordinationem conſtituti ſumus.

Applicatio Miſſę in ſcripturis fũdata.

1 Cor. 4

2. Cor. 5

Heb. 5.

Oſtēde tu ex ſcripturis, ſi potes, id no-

 bis

æqua pe titio. bis prohibitum eſſe. Si omnis poteſtas à Deo eſt (vt ait Apoſtolus) oſtende tu, vbi ſcriptum ſit, poſtetatem conſecrandi & offerendi non eſſe à Deo. Quod autem Epiſcopi et Presbyteri poteſtatem hanc habeāt præ aliis hominibus, etiam præ Diaconis, manifeſtè atteſtatur Concilium Nicænum, Cui longè iuſtius creditur quàm tibi & omnibus tui ſimilibus Apoſtatis, qui tantum abnegatis ſacra myſteria noſtra, & non affertis ſcripturas & cauſas, propter quas abnegari debeant. Vbi quæſo ſcriptum eſt: Nolite applicare miſſam pro viuis aut pro defunctis, aut nolite pro eis offerre aut orare? Si ergo nec Deus nec ſcriptura nec Eccleſia ꝓhibet, Quis tibi prohibendi poteſtatem dedit? In qua poteſtate hoc facis, immò facere impudenter præſumis?

Ro. 13. Cap. 14.

Quanta vero ſint bona in Miſſa, quæ Diabolus (generis humani hoſtis implacabilis, & ſalutis animarum perpetuus

inimicus)

inimicus) per vos miſſarum abrogatores abolet ac præpedit, ex vno Bonauēturæ breui libello, quem de pręparatione ad miſſam ſcripſit, recitabo, vt videatis quàm immania ſint ſcelera veſtra, dū tam multa & magna bona per impias calumnias veſtras tot in locis omitti facitis. Quando ſacerdos eſt (inquit) abſque peccato mortali, & in propoſito bono, non habens legitimum impedimētum, Et non ex reuerētia, ſed ex negligentia, celebrare omittit, Tunc, quantum in ſe eſt, priuat Trinitatem laude & gloria, et angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio & gratia, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali, et ſe ipſum medicinali remedio cōtra infirmitates & quotidiana peccata: Quia ſicut dicit Ambro. Quotienſcūque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur. Debeo .n. illum ſemper accipere, vt mihi ſemper peccata dimittantur, Qui ſemper

Verba Bonauē. de fructib⁹ Miſſæ

Ambro. de ſacramentis lib. 4. ca 6.

non tranſmittit nutrimentum corporale ſibi. Vltimo, quãtum in ſe eſt, euacuat Diuinum cultum & Latriam Creatori debitam, ſicut ingratus de beneficiis Dei. Vnde Num. IX. capite: Si quis mundus eſt, ſcilicet à mortali peccato, & in itinere non fuit, ſiue aliter impeditus, & tamen non facit Phaſe, exterminabitur anima illa de populo ſuo, quia ſacrificiũ non obtulit Domino in tempore ſuo.

Hæc Seraphicus ille Doctor. Quę etſi à te tuiſque ſimilibus hæretica peſte infectis deridentur, noſtris ſacerdotibus & Canonicis in piam & ſulubrẽ admonitionem dicta eſſe volo, vt frequentius miſſas celebrare ſatagant, ne propter negligentiam & omiſſionem tam multiplicis boni, reos ſe faciant pręuaricationis mãdati Chriſti, qui ait: Hoc facite in mei memoriam. Hoc eſt enim veriſſimũ Phaſe, per antiquum phaſe præfiguratum, ſicut ait Apoſtolus, Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. Videant igitur,

Frequẽter celebrandũ eſt ſacerdoti.

1. Cor. 5

qui negligũt, ne exterminentur, eo quòd phaſe non offerunt Domino iuxta debitum ordinis & officii ſui. Quæ enim Iudæis contingebant in figura, ſcripta ſunt ad correptionem noſtram, vt ait Apoſtolus.

1Cor.10

Vide igitur Muſcule te iam, velut hæreticum hominem, proprio condemnari iudicio, tanquam blaſphemum contra inſtitutionem Chriſti, quam à nobis tibi oſtendi petis. Oſtendimus eam ſupra, quia planiſſima ſunt hæc verba eius: Hoc facite in meã commemorationẽ. Sunt & alia permulta, quæ partim à me ſupra breuiter, partim ab aliis prolixe commemorata ſunt. Et tamen ſufficeret nobis autoritas Eccleſiæ (quę vſque ab Apoſtolorum tempore ſemper miſſas habuit, vt patet clarè ex Ignatio & Dionyſio, Apoſtolorum diſcipulsi) etiam ſi nullum haberemus in ſcripturis de miſſa verbũ ſicut declaratũ eſt ſupra de Trinitate perſonarum. Quod ex Lutheri

Blaſphemia in Chriſti inſtitutionem.

quoque

quoque (Patriarchæ veſtri) libro contra Ana baptiſtas manifeſtè contra vos probari & confirmari poteſt.

Sic enim ait ibi Lutherus: Non eſt abolendum aut mutandum quod claris ſcripturis aboleri aut mutari nõ poteſt. Deus enim mirabilis eſt in operibus ſuis. Quicquid.n.habere non vult, de eo ſatis teſtatur in ſcripturis, De quo autẽ ibidem non teſtatur, id permittatur tan quàm opus eius. Iam ſicut nuſquàm in ſcripturis prohibetur baptiſmus paruullorũ (de quo ibi loquitur Lutherus) Ita nec Miſſa & ſacrificium nouæ legis, aut applicatio Miſſæ vſpiã in ſcripturis prohibetur: Ideo aboleri non debet. Ad dit ibi Lutherus & alias cauſas pro paruullorum baptismo, quæ & pro Miſſa & eius applicatione obiici abnegatoribus vobis poſſunt.

Sentẽtia Lutheri.

Argumẽta Luth. pro Miſſa.

Nempe, Nulla vnquam hæreſis præualuit aut finaliter, perſtitit, quæ impugnauit Miſſam, à tempore vſque Apoſtolorum,

rum. Si ergo impia eſſet, non fuiſſet tam diu à Deo tolerata, nec permiſſa tam generaliter per vniuerſum vbique mundum. Item: Vbicũque videtur opus Dei, non minus cedendum & credendum eſt ei, quàm vbi auditur eius verbum, Niſi ſcriptura opus illud manifeſte dicat vitandum. Cum igitur nuſquàm in ſcripturis dicatur (vt vos dicitis) Miſſa abolenda eſt, aut Miſſa nõ poteſt applicari, aut miſſa nihil ꝓdeſt viuis aut defũctis. Quis tu es Muſcule, qui ſic pronumciare audes? Vbi ſic pronunciat Chriſtus, Paulus, aut vlla ſcriptura? Nũquid tu maior es Chriſto? Si non prohibuit ille, qua tu prohibes autoritate?

Non eſt requirẽda de õnibus ſcriptura

At dicis, te requirere de his ſcripturã, Quæ ſi non detur, pro humano habiturus ſis figmento. Audi igitur, quid ibidem dicat contra Anabaptiſtas, ſimiliter ſcripturam de baptiſmo paruulorum petentes, Lutherus. Boni (inquit) & ratione præditi Chriſtiani id à nobis non

petunt

petunt, ſed faciunt hoc contentioſæ, ac peruicaces ſectæ, vt prudentes videantur. Omitto hic ea, quæ idem in cœleſtes (vt vocat) prophetas euulgauit, qui ſimiliter recuſabant confiteri ſacramenta, eo quod in ſcripturis nuſquã ſacramenta dicuntur: Componite igitur prius hãc litem inter vos, ſi poteſtis. Deinde ſi libet, cõtendite nobiſcum. Sed iam pridem oſtendimus, iniquam eſſe iſtam de ſcripturis contentionem, eo quod nõ ſunt omnia ſcripturis comprehenſa.

Sed & iuriſconſulti pro craſſa habent abſurditate, ſi quis neget apud eos ius non ſcriptum, volens nihil admittere niſi ius ſcriptũ. Et philoſophi pariter reprobant eos, qui argumentantur per locum ab autoritate negatiuè, ſicut vos perpetuò facitis contra myſteria & ceremonias Eccleſiæ, quæ ſine ſcripto per ſpiritumſanctum tradita ſunt. Iniquè igitur et impiè deteſtaris miſſas, quas tu Lutherũ ſequẽs priuatas vocas & ãgulares

Ius aliud ſcriptum aliud nõ ſcriptũ.

Quan-

Quandoquidem nec ſcriptura nec patres aut vlla Concilia eas ſic vocant.

Filij alieni hæretici. Vos igitur hac nouitate & arrogantia facitis vos & omnes qui vobis credunt degeneres & alienos filios, contra illud

Pro.1.& 6. Sapiētis præceptum: Fili, ne dimittas legem matris tuæ. De quibus per Pſalmi

Pſal.17. ſtam queritur Eccleſia, dicens: Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inue-

Pſal.143 terati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Et rurſus: Eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum: Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Contra quos ita conſulit Eccle-

Epiphanius contra hæreſes lib.3. ſiæ filiis Epiphanius, autiquus ille hæreticorum cenſor, & Conſtātiæ in Cypro Epiſcopus. Proinde ciuitatem (inquit) videntes, ad ipſam feſtinemus ſanctam Hieruſalem, & virginem Chriſti & ſponſam, ſecurumque fundamentum & petram, & reuerendam matrem noſtram, Tempeſtiuiſſimè & ipſi dicentes:

Venite

Venite aſcendamus in montem Domini,& in domum Dei Iacob, & annunciabit viam ſuam, & ambulabimus in ſemitis eius. Eſai.2

Tu vero Muſcule,omnia bona noſtra improbe arrodens,& inquieto improbitatis curſu Domum Dei(quæ eſt Eccleſia)perturbãs,ſuperaddis quæſtiones improbas, quibus matris tuæ fideles filios nequiter exagitas, ac teipſum infinitis miſces quæſtionibꝰ,quas Apoſtolus inutilites ſtultas & ſine diſciplina vocat, quæ neque proſunt neque ædificationẽ pariunt.Stultas (inquit) quæſtiones & pugnas legis,vel(vt alibi dicit)verborũ deuita.Sũt enim inutiles & vanæ.Quáuis autem à nobis ad eas reſponderi non poſſe exiſtimas, facile tamen oſtendam tibi,Deo bene iuuante, eas & indoctas & inutiles ac vanas eſſe. Mus improbè arrodens. Eccle.7. 2.Tim.2. 1.Tim.6. Tit.3.

Primùm igitur quæris,ſi ſacerdos habet poteſtatem applicandi meritum oblationis Chriſti ſpecialiter,quibus voluerit,

luerit:cur non vna potius miſſa redimat animam,cui applicat illud,vt non ſit opus multis pro ea miſſis? Reſpondeo,& quidem ex tēpore (piget enim me ſcurrilitatibus tuis multum temporis per laboriofas aut prolixas lectiones autorum impendere.)Primũ,non habet ſacerdos autoritatē imperādi Deo,ſed officium ſupplicandi & humiliter orandi,pro animabus fidelium defunctorum,quas in manu ſua non ſacerdos,ſed Deus habet:
Ro.9. de quo ſcriptum eſt,cuius vult miſere-
Exod.33 tur.Ait enim ipſe ad Moyſen: Miſerebor cui voluero,& clemens ero in quem mihi placuerit.Deinde:non tenetur ſacerdos noſſe iudicium Dei ſuper animabus defunctorum. Hoc enim ad Chri-
Act.10. ſtum pertinet,qui conſtitutus eſt à Deo
Ro.14. (vt ait Petrus) iudex viuorum & mortuorum. Domino igitur (vt ait Paulus) non ſacerdoti ſtant, caduntque animæ. Siue enim viuimus,ſiue morimur,domini ſumus. Præterea Tribunal, ad quod

ſtan-

ſtandum eſt animabus hinc emigrantibus, non ſacerdotis, ſed Chriſti eſt, iuxta illud Apoſtoli: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Item: Si Paulus raptus in tertium cœlum, & in paradiſum, neſciuit an in corpore, an verò extra corpus raptus fuerit. Qua tu fronte exigis à ſacerdote, qui à tali raptu & reuelationis ſublimitate & excellentia longe abeſt, vt ſciat, quo in ſtatu ſint in altero ſæculo animæ, pro quibus ſupplicat? aut quouſque proficiat eis oblatio & oratio ipſius? Scriptum enim eſt in propheta: Quis audiuit ſpiritum domini? aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Et in epiſtola ad Romanos: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius &c. Non ſolum inepta & ſcurrilis eſt igitur hæc tua quæſtio, Muſcule, ſed & vana friuola, curioſa ac pla-

2. Cor. 5

2 Cor 12

Eſai. 40

Rom. 11

planè ſtulta,quam Pauli authoritate vitare debueras.

Quæſtio II.de aīa bus diuitum.

Secundo quæris:Cur animam diuitis oportet habere plures miſſas,quàm animam pauperis? Vt omittam hic inuidioſa ſcōmata & ſcurriles calumnias tuas, quævix in theatro à ſcurra aut hiſtrione æquis auribus acciperentur, quas tu in ſacra (ſi diis placet) cōcione auſus es euomere.Reſpondeo breuiter ex euangelio,quia dictum eſt diuiti: Fili recordare,quia recepiſti bona in vita tua,& Lazarus ſimiliter mala:Nunc autē hic conſolatur, tu verò cruciaris. Hæc non de quolibet diuite dixerim, ſed de iis qui propter ſæculi diuitias negligunt vias Domini, & eius mandata præuaricantur:de quibus ait Dominus, facilius eſt camelum tranſire per foramen acus,quā diuitem intrare in regnum cœlorum.& Apoſtolus:Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli &c. Non ſunt diuitiæ per ſeſe

Luc. 16. Matth. 19. 1.Tim. 6.

malæ,

malæ, quoniam illis plærique vtuntur bene, qui audiũt illud contra cupiditatis voraginem conſilium Pauli: Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam, Quibus & in Euãgelio dicitur: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, Theſaurizate autẽ vobis theſauros in cœlo. Et in Pſalmo: Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Celebrantur autem multæ miſſæ, propter ampliorem laudẽ & honorem Dei, etiam ſi anima diuitis in fœliciſſimo ſit ſtatu. Scriptum eſt enim: Honora Deum de tua ſubſtantia.

1. Tim. 6.

Matth. 6.

Pſal. 61.

Prouer. 3.

Quæris Tertio: Si tantum proficit animabus defunctorum miſſa, Cur Apoſtoli de ea nihil ſciuerunt aut ſcripſerunt?

Quæſt. III. de Apoſto.

runt? Nihil enim de miſſa, inquis, legim⁹, ſed de cœna Domini, quæ apud Apoſtolos in vſu fuit, & ab eis Eccleſiæ tradita eſt. Reſpondeo: Duplex eſt hic vel in breuiſſimis verbis mendacium: vnum quod de miſſa nihil ſciuerint Apoſtoli, alterum quod pro animabus defunctorum nihil in miſſa facere docuerint. Addo & tertium, quod non miſſam ſed cœnam Domini Eccleſiæ tradiderint. Certe quod de miſſa ſciuerint Apoſtoli, patet ex Ignatij (qui Apoſtolorum diſcipulus fuit) epiſtola ad Smyrnenſes, vbi de miſſa mentionē facit. Vnde autē accepit ac didicit niſi ab Apoſtolis? Ait ergo: Non licet ſine Epiſcopo neq; offerre, neque ſacrificiū immolare, neq; miſſas celebrare. Ecce his pauculis huius ſancti Martyris et Epiſcopi verbis cōuīcūtur duo aut tria tua Muſcule, mēdacia, dū negas Apoſtolos ſciuiſſe quippiā de oblatione & immolatione ſacrificij et de celebratione miſſarum. Vnde

Verba Ignatii de miſſa

enim

enim hæc didicit Ignatius niſi ab Apoſtolis? Reſponde ad hæc ſi potes. Reſponde & ad ea, quæ Ioannes Damaſcenus, Græcus & antiquus Theologus atteſtatur, dicens: Diui autem Apoſtoli, diſcipuli ſaluatoris, qui totum mundi circulum viuum cepere, prædicando verbum, quod ſuis oculis viderant, in tremendis vitalibúſque Sacramentis memoriam eorũ, qui fideliter obdormierũt habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter, atque adeo ſine cõtradictione obſeruat Apoſtolica & Catholica Eccleſia Chriſti & Dei à finibus vſque ad finem terræ, ab eoque tempore vſque in præſens, & in finẽ mundi vſque. Atteſtantur idipſum & alii vetuſti & ſancti Eccleſiæ Doctores, Dyoniſius, Athanaſius, Chryſoſtomus, Theoderitus & Gregorij complures. Quibus & Auguſtinus (quem tu ipſe omnibus alijs antepoponis) concordat in ſermonibus de verbis Apoſtoli, In hæc ſanè

Io. Damaſcenus in ſermo. de memoria defũctorum.

Sermo. 32.

verba : Pompa(inquit)funeris : agmina exequiarum,ſumptuoſa diligentia ſepulturæ,monumentorum opulēta conſtructio,viuorum ſunt qualiacunque ſolatia non adiutoria mortuorum. Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum,mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordius agatur à Domino,quàm eorum peccata meruerunt.Hoc enim à patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia,vt pro eis, qui in corporis & ſanguinis communione defuncti ſunt,cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorātur,oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.Cum vero eorū commendatorum cauſa opera miſericordiæ celebrantur,quis eis dubitet ſuffragari,pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur. Nō omnino ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis,ſed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, vt

poſſint

poſſint eis hæc vtilia eſſe poſt mortem. Hæc ibi Auguſtinus. Quàm inane verò ſit hoc veſtrum argumentum: Apoſtoli de hoc nihil ſcripſerunt, iam ſuprà ſæpè declaratum eſt.

Quæris Quarto: Cùm longe poſt Apoſtolos inuēta ſit miſſalis oblatio, Cur ante aliquot ſæcula nō fuerint tam multæ celebratæ miſſæ, quàm inuenimus tempore noſtro? Nemo enim, ais, negare poteſt, apud veteres non fuiſſe neq; tot ſacerdotes neque tot miſſas. Adiicis & hic multa ſcurriliter contra Eccleſiam Dei imꝑperia, quæ vix lenones aut meretriculæ improbiꝰ aut inuerecūdius cō tra veneranda religionis noſtræ myſteria iactare auderent. Sed iis omiſſis ad quæſtionem reſpondeo. Primum, quod falſum eſt, Miſſalem oblationem longe poſt Apoſtolos inuentam eſſe Nam Dionyſius, Ignatius Cleménſque & Anacletus, Apoſtolorum diſcipuli, eam clariſſimis verbis atteſtantur. Quinetiam Ca-

Quæſt. IIII. de multitudine miſſarum.

Miſſalis oblatio tempore Apoſtolo.

nones ipſorum Apoſtolorum hoc tuum conuincũt mendacium. E quibus hîc Nonum duntaxat recitabo, qui ſic habet: Si quis Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus, vel quilibet ex ſacerdotali Catalogo, facta oblatione non communicauerit, Aut cauſam dicat (ſi rationabilis fuerit veniam conſequatur) aut ſi non dixerit, communione priuetur, tanquàm qui populo cauſa læſionis fuerit, dans ſuſpicionem de eó qui ſacrificauit, quod recte non obtulerit. Ecce quot res bonas recenſet iſte Canon, quas vos barbarica impietate negatis & aboletis, Sacerdotalem ordinẽ, Oblationẽ, Sacrificare & offerre. Adde quod ſexta Synodus affirmat, Iacobũ fratrẽ Domini ſecũdũ carnẽ, & poſt eũ deinde Baſiliũ Magnũ dediſſe nobis in ſcripturis miſſę celebrationem, ſicut recitat Gratianus.

Canon IX Apoſtolorũ.

Decõſecra. diſt. 1. cap. Iacobus

Quod autem olim tam frequentes nõ fuerint miſſæ, neq; tot ſacerdotes, quot hodie, Inde accidiſſe arbitror, quod olim

Cur olim non fuerunt tot Miſ-

olim omnes tum ſacerdotes tum laici, quicunque intererant ſacrificio miſſæ, peracta oblatione,cum ſacrificăte cõmunicabant , ſicut ex Canonibus Apoſtolorũ & ex libris atque epiſtolis antiquiſſimorum Eccleſiæ Doctorum perſpicuè cognoſcitur.Hic vnicum hac de re Canonem recitabo, qui Calyxto Papæ & Martyri aſſcribitur.Peracta(inquit)conſecratione,omnes communicent qui voluerint eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim etiam Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia. Nunc vero cùm ille communicandi mos non amplius apud nos obſeruetur,nõ minus laicorum, quàm ſacerdotum deſidia & negligentia:Inuenit & introduxit ſpiritus ſanctus pium huius negligentiæ ſupplementũ per miſſarum,quas ſoli ſacerdotes peragunt,frequentationẽ. Neque tamẽ tam rara fuit olim celebratio miſſarum,neque tăta ſacerdotum paucitas, quantam tu dicis. Noſti Cypriani &

ſæ,quot nũc.De cõſecra. diſt.1.c. Epiſcop°. 5t.c. Omnes. De cõſecra.diſt. 2.c. Per acta.

Cypria. in ſermone de lapſis. Tertull. li. 2. ad morem. De cõſecra. diſt. 2. c. quotidie cũ ſequentibus.

Tertulliani temporibus, quando tempore perſecutionis non licebat quotidie in vnum conuenire Chriſtianis ad communionem, datũ fuiſſe ſingulis ſacrum Euchariſtiæ panem, vt domi ante omnem cibum de illo ſumerent: Noſti Ambroſium quoque & Hieronymum atq; etiam Auguſtinum de quotidiana communione mentionem facere. At eo tempore communio extra Miſſam non fiebat, niſi impediret infirmitas aut perſecutio. Noſti denique & Chryſoſtomum & Gregorium querulos de multitudine loqui ſacerdotum, inter quos pauci prędicarent verbum Dei. Ego hîc breuitatis gratia vnam ex Codice legem affero Honorii & Theodoſij: Non plures (inquiunt) quàm Nongenti Quinquaginta Decani ſacro ſanctæ ampliſſimæ vrbis deputentur Eccleſiæ.

C. de ſacroſan. eccle. L. Non plures,

Quæſt. V. de miſſis & Indulgẽ.

Quæris Quinto: Quomodo poſſint ſe inuicem ferre Nundinatores (vt vocas) Indulgentiarum & miſſarum, qui

merces

merces ſuas pro redimendis animabus venditant. Quia ſi per Indulgentias liberentur animæ à culpa & pœna, opus non habeant Miſſis: Si vero per Miſſas, opus non habeant Indulgentiis. Reſpõdeo, Scriptum eſt in Pſalmis: Iudicia dei abyſſus multa. Et in Paulo: Noli altum ſapere ſed time. Item, Non plus ſapere quàm oportet. Cum igitur nobis occulta ſint Dei de animabus iudicia, recte vtitur Eccleſia pluribus ad ſubueniendũ animabus defunctorum ſuffragiis & interceſſionibus, non miſſis modo & Indulgentiis, verum etiam eleemonſynis & orationibus. Pſal. 35. Ro. 11. 12.

Eiuſmodi vero pietatis exercitia non fiũt fruſtra, etiam ſi animabus, pro quibus fiunt, nihil proſint, aut illæ iiſce nõ indigeant, vti clare docet S. Aug. *Sic enim ait ad Laurentium in Enchiridio:* Neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorũ viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, Aug. in Enchiri. ca. 110.

fertur,vel eleemoſynæ in eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt,qui cùm viuerent, vt hæc ſibi poſteà prodeſſe poſſent,meruerunt.Et poſt pauca:Cùm ergo ſacrificia,ſiue altaris,ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro valde malis,etſi nulla ſunt adiumenta mortuorũ, qualeſcunque viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt,aut ad hoc proſunt,vt ſit plena remiſſio, aut certè vt tolerabilior fiat ipſa damnatio.

Sacrificia pro defunctis.c.ſi.

Et ad Paulinum in libro de cura pro mortuis gerenda,rurſus ſic ait: Quæ cũ ita ſint, non exiſtimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire niſi quod pro eis ſiue altaris ſiue orationum,ſiue eleemoſynarum ſacrificiis ſolenniter ſupplicamus. Quãuis non, pro quibus fiunt,omnibus proſint,ſed his tã tum, quibus dum viuunt comparatur vt proſint. Sed quia non diſcernimus

qui

qui ſint,oportet pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur,ad quos hæc beneficia poſſint & debeant peruenire.Melius enim ſupererũt iſta eis,quibus nec obſunt,nec proſunt, quam eis deerunt quibus proſunt. Diligentius tamẽ facit hæc quiſque pro neceſſariis ſuis , quod pro illo fiat ſimiliter à ſuis.Hæc Aug. Cui tuipſe Muſcule,inter omnes præcipuam tribuis,& doctrinæ & autoritatis palmam.

Teſtimonia Luth.de miſſa p. defũctis

Si hunc non recipis modo (vt leuis es & mutabilis) recipe ſaltem Lutheri tui (quẽ inani iactantia & impudẽti adulatione quaſi prophetam virũ Dei vocas) ſententiam,quam in reſolutione ſuarum propoſitionum (per quas primùm vobis placere cœpit) prolixè docuit,quomodo ſacrificandum,ſuffragandum , ac orandum ſit pro defũctis.Et addit: Hoc animarum ſanctiſſimum, ſed anxioſiſſimum deſyderiũ meritò iuuat omnis eccleſia,quãtum poteſt, maxime quãdo &

In reſoluti. pro po.19.

Deus

Deus vult illas per Eccleſiam iuuari. Itē in ſermone de Indulgentiis ita dixit: Mihi dubium non eſt, miſſam pro defunctis celebratam, eſſe meliorem ac efficaciorem ad redimēdas animas quàm ſunt indulgentiæ per miſſā quæſitæ. Item, In declaratione quorundam articulorum ſic ait: Firmiter credendum eſt, & ego ſcio verum eſſe, quod miſeræ animę ineffabilē in purgatorio pœnam patiūtur & nos, eas iuuare tenemur orationibus, ieiuniis, eleemoſynis & quocūq; poſſumus modo.

DE HIS QVAE AD MISSAM neceſſaria aut congrua dicuntur. Cap. IIII.

Inanis loquacitas.

NIſi tibi ipſi nimium placeres in ſcurrili loquacitate tua, alterā & quidem prolixiorē libri tui partem conſulto potuiſſes omittere. Nihil enim ponderis habet, ſed tantum leuia ſcurrilitatis calumniarum & irriſionum verba, ſine ſcripturis & rationibus

per

per inane volitantia, Quorum maxima pars iam ſupra confutata eſt. Nam & ea fundaſti ſuper falſitate iſta, quod nihil recipiendum aut tenendum ſit in Eccleſia, niſi quod habetur in ſcripturis. Reſponde igitur prius ad ea, quæ ſupra iam tibi viciſſim obiecta ſunt. Deinde, ſi operæ precium videbitur, ad iſtas garrulitates tuas plenius Deo adiuuante reſpondebimus.

Quid habet quęſo vir pius & honeſtꝰ quod reprehendat in iis, quæ tu ex Gabriele Biel, tanquam ridicula & puerilia (vt ais) recitas, ſiue quæ ad ſacrificātem ſiue quæ ad ipſum Miſſæ ſacrificiū requiruntur & pertinent? Commemoras autē Nouem ex parte vtriuſque: Ad ſacrificantem ſcilicet, vt habeat poteſtatem conſecrandi, quam acceperit ab Epiſcopo legitimè ordinatus, Vt eloqui poſſit verba & nō ſit mutus, vt habeat rectam intentionem conſecrandi ſecundum formam & fidem Eccleſiæ. Et hæc Que ad ſacrificā tem pertinent.

tria ſint omnino neceſſaria, ſine quibus ſacrificium peragi non poſſit. Reliqua verò ſint congrua, non tam neceſſaria quàm decentia: Vt ſit ieiunus, impollutus, lotus manibus, comptus capillis, dixeritque horas Canonicas, ſaltem matutinas, & acceſſum altaris (quem tu improbiſſima irriſione quæſtum altaris vocitas) & ſacris, non popularibus indutus ſit veſtibus dum ſacrificat.

Quæ ad miſſam pertinét

Ad miſſam verò ritè peragendam requiritur, vt dicatur introitus, kyrie eleiſon &c. Vt locus in quo celebratur ſit cõſecratus, Vt altare ſit lapideum, & ab epiſcopo conſecratum: Vt calix ſit aureus, argenteus, aut ad minus cupreus: (Et hîc infideliter narras, & improbè cauillaris.) Vt candelæ ex cera adſint accenſæ: Vt debita fiat hora diei: Vt verba Canonis ſubmiſſa voce dicantur, ne laïci audiát: Vt nihil omittatur de geſtibus, crucibus, inclinationibus &c. Vt hoſtia in tres diuidatur partes, quarum vna his

qui

qui in cœlo, altera his qui ĩ terra, Tertia his qui in purgatorio ſunt, deputetur.

Hæc licet à te improbiſſima cum irriſione & ironia recitentur, tamen non ſunt noua, nec heri aut nudiuſtertius ab hominibus friuolè excogitata, ſed per ſpiritumſanctum potius ab Apoſtolis & eorum diſcipulis catholicæ eccleſiæ tradita. Id quod mihi facilè credet, quicunque eos canones, qui à Gratiano in prima ſaltem de Conſecratione, diſtinctione recenſentur, & qui Canones Apoſtolorum percurrerit, atque Clementis & Anacleti (qui Petri Apoſtolorum principis diſcipuli fuerunt) atque Ignatij & Dionyſij epiſtolas inſpexerit.

Traditiones Apoſtolorum.

Oſtende nobis, ſi potes, improbiſſime Cauillator vel vnum ex tot milibus tot retro ſæculorum epiſcopum aut preſbyterum, qui conſecrauerit antequam eſſet legitima ordinatione ad id muneris & dignitatis vocatus & adſcitus. Oſtẽde item vnum ex omnibus laicis ſiue

Nouitates hereticorũ.

Prin-

Principem ſiue plebeium in vniuerſo terrarum orbe à tempore vſque Apoſtolorum:qui abſque præuia & ſolenni ordinatione irruerit ad altare, miſſam aut (vt vos vocatis) cœnam Domini celebraturus. Oſtende ſi potes,aliquem ſiue ſacerdotem ſiue laicum,qui extra altare in loco & in veſtitu prophano apud Chriſtianos Miſſæ peregerit officium. Quod ſi nihil horum oſtendere potes, quid falſo & malignè iactitatis in Confeſſione & Apologia Auguſtana, vos nulla tradere dogmata noua?Nobis interim contra friuolas huiuſmodi nouitates veſtras (quas à barbaris Vualdenſibus & Albigenſibus mutuaſtis)ſufficit autoritas Nicæni Concilij quod aperte dicit, Diaconos non habere poteſtatem conſecrandi & offerrendi, ſi ergo non habent Diaconi,quomodo habent eam puri laici?

Poteſtas conſecrādi. Cap. 14.

At dixeris, Chriſtum in vltima cœna nihil horū habuiſſe ,nec de his quicquā

Apoſtolis

Apoſtolis mandaſſe: Reſpondeo, Primũ, Nõ eſt par ratio de chriſto & quolibet ſacerdote. De Chriſto ait Dauid: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Item, Tu es ſacerdos inæternum & c. Item, Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Deinde, qui ſcis, Chriſtum hiſce de rebus, & obſeruationibus nihil mandaſſe? An quia nõ reperitur ſcriptum? At iam ſuprà ſæpe dictum eſt, hanc rationem non valere, eo quòd nõ omnia ſunt ſcripta, quę dixit ac fecit Chriſtus. Sed eſto quòd nihil prorſus de iis mandauerit, Vbi autem ea prohibuit? Si non prohibuit ille, cur prohibes tu, qui prohibẽdi poteſtatem non habes?

Non eſt par ratio de Chriſto & de ſacerdote.

Pſal 109

Pſal. 44

Ad quid verò miſit et poſt ſe reliquit ille ſpiritum ſanctum, ſi per eum nihil voluit in Eccleſia ſua ordinare aut facere? At non falſo dixit Apoſtolis: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: Cũ autẽ venerit Paracletus,

Ordinationes per ſpiritum ſanctum.

Ioh. 19.

docebit vos omnem veritatem. Perlege
Aug. in Epiſto-lis. 118. &. 119. ſaltem duas Auguſtini ad Ianuarium e-
piſtolas, vt videas, quàm barbara & inſo
lens ſit hæc veſtra inſania, per quam o-
mnia vultis abolere, quę in ſcripturis nō
habentur expreſſa.

De tranſſubſtantiatione Panis & Vini. *Caput V.*

ETſi tibi ſuprà de Tranſſubſtantia-
tione ſufficienter, licet paucis ver
bis, reſponſum eſt, attamen cùm tu
iterum repetis per multa etiam folia nu
gaciſſimè huius impietatis tuæ eandem
Nugax Muſculi cãtilena. cantilenam (quâ rem ſacratiſſimam &
opus Dei negas & blaſphemas) cogor
& ego eam rurſus aſſerere, & tuos tibi
errores ob oculos ponere, vt iis agnitis
cōuertaris & viuas, qui coram Deo per
ſchiſma hæreſimque & multiplicem bla
ſphemiam planè mortuus es, & in æter-
num moriturus, niſi cōuertaris. Et quod
tibi hac de re dico, omnibus dictum vo-
lo, quicũque tibi in hiſce fœdiſſimis hę-
reſi-

reſibus conſentiunt: Alioqui, ſi pro pecunia certamen eſſet, nollem profectò vel pro ingenti pecuniarum ſumma tantum moleſtiæ tædiíque & laboris in me ſuſcipere, ac cum precioſi temporis iactura tot iniurias blaſphemiáſq; legendo deuorare. Tanta enim eſt nugacitas in verbis, vt moleſtiſſimum mihi ſit vel ſemel omnem verborum ſeriem percurrere, vt nihil dicam de animi tui malignitate, quam vbique verba tua interim ſpirant ac præ ſe ferunt.

Animoſe itaque petis vt oſtendamus tibi, quòd Chriſtus in cœna nouiſſima panem & vinum mutauerit in corpus ſuum. Ego autem oſtendi ſuprà, Chriſtum non dixiſſe, ſicut tu falſò dicis: Cũ hoc pane eſt corpus meum, aut cum hoc vino eſt ſanguis meus, ſed dixiſſe, hoc eſt corpus meum. Hoc inquam, non hic panis, alioquin ſi de pane intelligi voluiſſet, rectius dixiſſet hic quàm hoc. Hoc, igitur, demõſtratiuũ pronomẽ demõſtrat

Verba Chriſti de Trãſ ſubſtantiatione.

poti⁹ corp⁹ quã panẽ. Nõ enim dicitur recte hoc panis,ſed hoc corpus. Similiter et in cõſecratione calicis, non dixit: Hoc eſt calix ſanguinis mei,ſed, hic eſt calix. Alioqui ſi de vino quod ſubſtãtialiter remaneret (vt tu falſiſſimè dicis) intelligi voluiſſet, potius dixiſſet. Hoc (ſcilicet vinum)eſt calix ſanguinis mei. Libenter profectò audiam, quid nam ad hoc breue fundatum in verbis domini argumentum reſponſurus ſis.

Confutatio erroris.

Argumentatus ſum nuper prolixè hac de re in Sexta Philippica, Quæ & tibi obiecta volo. Sed & ante annos XXII. hunc contra Tranſſubſtantiationem panis & vini errorem, Luthero improperaui & conuici Vuormaciæ. Sed & alia quædã obieci Philippo eius, ſi potes ad ea reſponde,ac defende impietatẽ hanc veſtram: Contra quam multa ſcripſi, dum confutarem recens tum æditum Lutheri Librum de Captiuitate Babylonica. Allegaui autem contra hunc

errorem

errorem veſtrum in prædicta Philippica plæraque verba S. Ambroſij. Hic ad cõuincendam impudentiam tuam allegabo nonnulla ex Auguſtino, per quem tu panem & vinum vis intrãſmutatos probare. Quamuis verò complura eius dicta recitet in ſecunda diſtinctione de cõſecratione Gratianus: hic tamen breuitatis gratia vnum aut alterum inde huc afferam, quò falſitas tua ſufficienter conuinci poteſt. Etenim in libro ſentẽtiarũ, quas ex Auguſtino collegit Proſper Epiſcopus Rhegiẽſis, ita habetur. Probationes ex Au.

Nos autẽ in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt, Carnem & ſanguinem Chriſti honoramus. Nec ſimiliter comprehendimus has duas ſpecies, quemadmodum ante conſecrationem comprehendebamus. Cùm fideliter fateamur, Ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit: Poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio De cõſecra. diſt. 2. cap. Nos autem.

cōſecrauit. Et rurſus: Caro (inquit) eius eſt quā forma panis opertam in Sacramento accipimus: Et ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie et ſapore potam⁹. Breuia quidem ſunt hæc Muſcule, dicta, ſed ſatis aperta & efficacia ad tui erroris confutationem. In Sacramento enim poſt conſecrationem fatetur adeſſe Auguſtinus non ſubſtantiam, ſed ſpeciem & formam panis & vini: Quia non ſimiliter ea conprehendimus (inquit) ante & poſt conſecrationem: Antè enim panis eſt & vinum, poſt verò caro & ſanguis Chriſti.

Ibidem cap. Hoc eſt.

Nimis longum foret, omnia Auguſtini teſtimonia hac de re, quæ Thomas Vualden contra Vuiclephum, Roffenſis Epiſcopus cōtra Oecolampadiū, & Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ produxerunt, recitare. Ego vt clarius omnia cernas, vnicum adhuc teſtimonium eius producam ex quodam Canone, quem recitat Gratianus in ſupradicta

Gab. Biel lect. 39.

dicta diſtinctione. Sicut de virgine (inquit) per ſpiritum ſanctum vera caro ſine coitu creatur: Ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini, myſticè idem corpus Chriſti conſecratur. Corpus Chriſti & veritas & figura eſt: Veritas, dum corpus Chriſti & ſanguis, virtute ſpiritus ſancti, ex panis & vini ſubſtantia efficitur: Figura verò eſt id, quod exterius ſentitur. Item, Intra ſanctam Eccleſiam catholicam, in myſterio corporis Chriſti, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote. Quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris, & in virtute ſpiritusſancti. Si enim in merito eſſet ſacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat: ita ipſe eſt qui per ſpiritum ſanctum hanc ſuam efficit carnem, & tranſit vinum in ſanguinem. Et iterum: Nihil (inquit) rationabilius, vt quia nos iam ſimilitudinem mortis

De cõſecra diſt. 2. cap. Vtrum ſub.

Chriſt' cõſecrat in Miſſa.

eius in baptiſmo accepimus, ſimilitudinem quoque & ſanguinis ſumamus: Ita vt & veritas non deſit in Sacramento, & ridiculum nullum fiat à Paganis, quòd cruorem occiſi hominis bibamus. Et poſt pauca: Credendum eſt (inquit) quod in verbis Chriſti Sacramenta conficiantur. Cuius enim potentia creantur prius, eius vtique verbo ad melius procreātur. Hæc ex Auguſtino, Quē tu dignum exiſtimas, vt tantæ ſit autoritatis quantæ ſint omnes alii & qui eum præceſſerunt & qui poſt eum venerunt, à temporibus vſque Apoſtolorum

Verbum Auguſt. male intellectū.

Vſque adeò tamen impudens es, vt non verearis tot tamque clara huius Doctoris teſtimonia de mutata per conſecrationem panis & vini ſubſtantia, reiicere, & opponere nobis breue quoddam verbū eius, abs te male intellectū, & in alienum ſenſum detortum, Quod ſic habet: ACCEDIT VERBVM AD Elementnm, & fit Sacramentum. Hic

trium-

triumphas Muſcule, & nobis improbè ac procaciter inſultans dicis : Non ait, Mutat vel aufert verbum elementum, ſed accedit ad elementum. Vis igitur per hoc verbum Auguſtini ſufficienter probatum eſſe, contra totius Eccleſiæ fidem, tot ſæculis vbique per omnes Catholicos patres (quos in maximo ſanè numero recenſent contra ſæpe confutatum errorem veſtrum, cuius inuentor per Berengarium Diabolus, mendacij pater fuit: Lanfrancus, Guimundus, Algerus, Vualden, Biel, Roffenſis, Gratianus item & tota caterua ſcholaſticorum Theologorum) prædicatam, quòd panis & vini ſubſtantia in Euchariſtia permaneat.

Subdole autem obtices locum, In quo verba iſta ſunt ab Auguſtino dicta, ne aduerſarij mox inſpecto eo loco fraudē tuam deprehēdant, licet aliâs, vbi fraudis tibi non ita conſcius es, plærumque locum vel in textu vel in margine indices.

Dolus in allegatione.

Solutio.

ces. Reſpondeo igitur: Primũ ſanè, quòd hoc dictum Auguſtini non debet intelligi de pane & vino, quia non ſunt elementa panis & vinum, ſed elementa potius & ex elementis compoſita, vt ſciunt omnes philoſophi. Deinde, quòd ipſe Auguſtinus hoc non de Euchariſtia, ſed de baptiſmo dixit. Habetur ſanè verbũ iſtud in tractatu LXX. ſuper Ioannis Euangelium, & allegatur, tum à Gratiano, tum à Magiſtro ſententiarum, ab vtroque autem, non de Euchariſtia; ſed de baptiſmo, cuius elementum aqua eſt. Sed non opus eſt nobis aliorum hîc teſtimonio, quoniam Auguſtinus ipſe clariſſimè idipſum aſſerit in textu. Sic enim habet.

De cõſecra. diſt. 4. ca. illud. In ſentẽ lib. 4. diſt. 3. ca 1. In decr. 1. quæſt. 1. ca. Detrahe

Verba Auguſtini.

Iam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis. Quare non ait: Mundi eſtis propter baptiſmum, quo loti eſtis, ſed ait, propter verbum quod locutus ſum vobis: niſi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid

quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiã ipſum tanquam viſibile verbum. Nam & hoc vtique dixerat, quando pedes diſcipulis lauit: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciẽte verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. Nã & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiẽs, aliud eſt virtus manens.

Quid hîc vides Muſcule, vel de Euchariſtia, vel de pane & vino? Quid vanè inſultas, quod non dicit: Mutat vel aufert, ſed accedit? Quis tam cæcus eſt, vt non videat, longe aliam eſſe rationem de verbis, quæ dant formam Baptiſmo, quàm de verbis per quæ conficitur Euchariſtia? Nuſquam profectò dicitur de aqua baptiſmi, ſicut de calice dicitur: Hic eſt ſanguis meus, & ſicut de pane p tranſſubſtãtiationẽ, Hoc eſt corpꝰ meũ. Vaniſſima eſt igitur hæc tua obiectio.

Alia ratio verborũ in Baptiſmo, alia i Euchariſtia.

Etiam

Panis tranſſubſtantiat' panis adhuc dicitur.

Etiam ſi aliqua ratione verbum Auguſtini de Euchariſtiæ Sacramento intelligatur, ſi elementum accipiatur improprie pro pane & vino. Nā & panis trāſſubſtātiatus dicitur alicubi panis adhuc, propter remanentes ſpecies & accidentia panis, ſicut ait Apoſtolus ad Corinthios: Panis quē frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Et in Canone miſſæ poſt conſecrationem iam factam ait ſacerdos: Panem ſanctum vitæ æternæ, et calicem ſalutis perpetuæ. Et vetuſtus autor Tertullianus ad vxorem: Non ſciet maritus (inquit) quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciuerit panem non illum credit eſſe qui dicitur. Neque igitur alienum à ſcripturis eſt, panem propter remanentes ſpecies, adhuc panem dici, licet ſubſtantia ſit tranſmutata. Nam & virga Aaron in colubrum ſubſtantialiter conuerſa, ſimiliter & virgæ Magorum in Dracones verſæ, poſt eam mutationem adhuc virgæ dictæ ſunt.

1. cor 10

Tertul. li. 2. ad vxorem.

ſunt.Ita enim habet textus: Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Exod.7.

Cætera,quæ ex Auguſtino refers,magis contra te quàm contra nos ſunt.Neque noua eſt hęc fraudulentia hæreticorum.Nam ante te ſic fecit Oecolampadius,qui multa ex Auguſtin.& Chryſoſto. aliiſque Eccleſiæ Doctoribus allegauit,in falſũ ſenſum detorta,quæ Roffenſis Epiſcopus in verum ſenſum reſtituit .Et lõge ante vos impius Vuicleph, qui eodem tenebatur errore,tam frequẽter allegauit Auguſtinum,vt à ſuis Ioannes Auguſtini dictus ſit.Tanquam nihil aliud eſſet Vuiclephi doctrina,quã ipſiſſima doctrina Auguſtini Merus eſt igitur fucus & dolus, quicquid ex Auguſtino cõtra Tranſſubſtãtiationis veritatem prætendis.Satis enim manifeſtè ſupra oſtẽſum eſt,quid ea de rę(licet Trãſſubſtantiationis vocabulo non vtatur) ſentiat Auguſtinus, dum fatetur apertè, Ante conſecrationem eſſe panem, ſed

Hæreticorum fraus in Auguſtino.

poſt

De cõſecra.diſt. 2.capi. Qui mãducat.

poſt conſecrationem eſſe corpus Chriſti, non ſubſtantiã panis, ſed formam dumtaxat aut ſpeciem panis. Non igitur contra nos, ſed contra vos, eſt illud eius verbum, quod ex Gratiano recitas: Iſta ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur: Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: Quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Ecce apertè dicit: Quod videtur, ſpeciem habet corporalem, ſicut & nos dicimus, ſed non dicit, ſubſtantiam habet corporalem, ſicut vos dicitis: Sed attende, ô Muſcule ad ea, quæ mox ſubiungit: Qui accipit myſterium vnitatis, et non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe.

Quod autem pro vocabulo Tranſſubſtantiationis (quod à tota Eccleſia in Generali Concilio Lateranẽſi approbatũ & receptum eſt) ſuggeris nobis vocabulũ Tranſcõditionationis, mera temeritas

meritas eſt ex improbo nouandi & con tradicendi ſtudio, Quod tam facilè reiicitur, quàm friuolè à te excogitatur: Quoniam neque ſcriptura neque ſanctorum patrum quiſpiam, neque Eccleſia vſpiam recepit, aut approbauit hoc tuæ adinuentionis vocabulum, quod vtique verbũ Dei non eſt, ſed inanè ſomnium tuum.

Quæ de ſimilitudine ſigni ad ſignatũ obiicis, inerudita ſunt & impia. Nos longè meliorem ex Auguſtino rationẽ ſimilitudinis didicimus, quæ & in Chriſti & in Pauli verbis fũdata eſt: Nam ſicut ex multis granis vnus efficitur panis & ex multis racemis aut vuis vnum confluit vinum: Ita & nos multi vnus ſumus panis, & vnũ corpus (vt ait Apoſtolus) omnes qui de vno pane, & vno calice participamus. Quod & Dominus ipſe Patrẽ rogauit, vt vnũ ſint omnes qui cre dũt in ipſum. Vos autẽ impiiſſimè abu-

Similitudo ſigni ad ſignatum.

timini

docebit vos omnem veritatem. Perlege ſaltem duas Auguſtini ad Ianuarium epiſtolas, vt videas, quàm barbara & inſolens ſit hæc veſtra inſania, per quam omnia vultis abolere, quę in ſcripturis nõ habentur expreſſa.

Aug. in Epiſtolis. 118. &. 119.

De tranſſubſtantiatione Panis & Vini. Caput V.

ETſi tibi ſuprà de Tranſſubſtantiatione ſufficienter, licet paucis verbis, reſponſum eſt, attamen cùm tu iterum repetis per multa etiam folia nugaciſſimè huius impietatis tuæ eandem cantilenam (quâ rem ſacratiſſimam & opus Dei negas & blaſphemas) cogor & ego eam rurſus aſſerere, & tuos tibi errores ob oculos ponere, vt iis agnitis cõuertaris & viuas, qui coram Deo per ſchiſma hæreſimque & multiplicem blaſphemiam planè mortuus es, & in æternum moriturus, niſi cõuertaris. Et quod tibi hac de re dico, omnibus dictum volo, quicũque tibi in hiſce fœdiſſimis hęreſi-

Nugax Muſculi cãtilena.

reſibus conſentiunt: Alioqui, ſi pro pecu nia certamen eſſet, nollem profectò vel pro ingenti pecuniarum ſumma tantum moleſtiæ tædiíque & laboris in me ſuſcipere, ac cum precioſi temporis iactura tot iniurias blaſphemiáſq; legendo deuorare. Tanta enim eſt nugacitas in verbis, vt moleſtiſſimum mihi ſit vel ſemel omnem verborum ſeriem percurrere, vt nihil dicam de animi tui malignitate, quam vbique verba tua interim ſpirant ac præ ſe ferunt.

Animoſe itaque petis vt oſtendamus tibi, quòd Chriſtus in cœna nouiſſima panem & vinum mutauerit in corpus ſuum. Ego autem oſtendi ſuprà, Chriſtum non dixiſſe, ſicut tu falſò dicis: Cũ hoc pane eſt corpus meum, aut cum hoc vino eſt ſanguis meus, ſed dixiſſe, hoc eſt corpus meum. Hoc inquam, non hic panis, alioquin ſi de pane intelligi voluiſſet, rectius dixiſſet hic quàm hoc. Hoc, igitur, demõſtratiuũ pronomẽ demõſtrat

Verba Chriſti de Trãſſubſtantiatione.

poti⁹ corp⁹ quã panẽ. Nõ enim dicitur recte hoc panis, ſed hoc corpus. Similiter et in cõſecratione calicis, non dixit: Hoc eſt calix ſanguinis mei, ſed, hic eſt calix. Alioqui ſi de vino quod ſubſtãtialiter remaneret (vt tu falſiſſimè dicis) intelligi voluiſſet, potius dixiſſet. Hoc (ſcilicet vinum) eſt calix ſanguinis mei. Libenter profectò audiam, quíd nam ad hoc breue fundatum in verbis domini argumentum reſponſurus ſis.

Confutatio erroris.

Argumentatus ſum nuper prolixè hac de re in Sexta Philippica, Quæ & tibi obiecta volo. Sed & ante annos XXII. hunc contra Tranſſubſtantiationem panis & vini errorem Luthero improperaui & conuici Vuormaciæ · Sed & alia quædã obieci Philippo eius, ſi potes ad ea reſponde, ac defende impietatẽ hanc veſtram: Contra quam multa ſcripſi, dum confutarem recens tum æditum Lutheri Librum de Captiuitate Babylonica. Allegaui autem contra hunc

errorem

errorem veſtrum in prædicta Philippica plæraque verba S. Ambroſij. Hic ad cõuincendam impudentiam tuam allegabo nonnulla ex Auguſtino, per quem tu panem & vinum vis intrãſmutatos probare. Quamuis verò complura eius dicta recitet in ſecunda diſtinctione de cõſecratione Gratianus: hic tamen breuitatis gratia vnum aut alterum inde huc afferam, quò falſitas tua ſufficienter conuinci poteſt. Etenim in libro ſentẽtiarũ, quas ex Auguſtino collegit Proſper Epiſcopus Rhegiẽſis, ita habetur. Probationes ex Au.

Nos autẽ in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt, Carnem & ſanguinem Chriſti honoramus. Nec ſimiliter comprehendimus has duas ſpecies, quemadmodum ante conſecrationem comprehendebamus. Cùm fideliter fateamur, Ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit: Poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio De cõſecra. diſt. 2. cap. Nos autem.

cõſecrauit. Et rurſus: Caro (inquit) eius eſt quã forma panis opertam in Sacramento accipimus: Et ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie et ſapore potam⁹. Breuia quidem ſunt hæc Muſcule, dicta, ſed ſatis aperta & efficacia ad tui erroris confutationem. In Sacramento enim poſt conſecrationem fatetur adeſſe Auguſtinus non ſubſtantiam, ſed ſpeciem & formam panis & vini: Quia non ſimiliter ea conprehendimus (inquit) ante & poſt conſecrationem: Antè enim panis eſt & vinum, poſt verò caro & ſanguis Chriſti.

Ibidem cap. Hoc eſt.

Nimis longum foret, omnia Auguſtini teſtimonia hac de re, quæ Thomas Vualden contra Vuiclephum, Roffenſis Epiſcopus cõtra Oecolampadiũ, & Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ produxerunt, recitare. Ego vt clarius omnia cernas, vnicum adhuc teſtimonium eius producam ex quodam Canone, quem recitat Gratianus in ſupradicta

Gab. Biel lect. 39.

dicta diſtinctione. Sicut de virgine (inquit) per ſpiritum ſanctum vera caro ſine coitu creatur: Ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini, myſticè idem corpus Chriſti conſecratur. Corpus Chriſti & veritas & figura eſt: Veritas, dum corpus Chriſti & ſanguis, virtute ſpiritus ſancti, ex panis & vini ſubſtantia efficitur: Figura verò eſt id, quod exterius ſentitur. Item, Intra ſanctam Eccleſiam catholicam, in myſterio corporis Chriſti, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote. Quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris, & in virtute ſpiritus ſancti. Si enim in merito eſſet ſacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat: ita ipſe eſt qui per ſpiritum ſanctum hanc ſuam efficit carnem, & tranſit vinum in ſanguinem. Et iterum: Nihil (inquit) rationabilius, vt quia nos iam ſimilitudinem mortis

De cõſecra diſt. 2. cap. Vtrum ſub.

Chriſt' cõſecrat in Miſſa.

eius in baptiſmo accepimus, ſimilitudinem quoque & ſanguinis ſumamus: Ita vt & veritas non deſit in Sacramento, & ridiculum nullum fiat à Paganis, quòd cruorem occiſi hominis bibamus. Et poſt pauca: Credendum eſt (inquit) quod in verbis Chriſti Sacramenta conficiantur. Cuius enim potentia creantur prius, eius vtique verbo ad melius procreātur. Hæc ex Auguſtino, Quē tu dignum exiſtimas, vt tantæ ſit autoritatis quantæ ſint omnes alii & qui eum præceſſerunt & qui poſt eum venerunt, à temporibus vſque Apoſtolorum.

Verbum Auguſt. male intellectū.

Vſque adeò tamen impudens es, vt non verearis tot tamque clara huius Doctoris teſtimonia de mutata per conſecrationem panis & vini ſubſtantia, reiicere, & opponere nobis breue quoddam verbū eius, abs te male intellectū, & in alienum ſenſum detortum, Quod ſic habet: ACCEDIT VERBVM AD Elementum, & fit Sacramentum. Hic

triū-

triumphas Muſcule, & nobis improbè ac procaciter inſultans dicis: Non ait, Mutat vel aufert verbum elementum; ſed accedit ad elementum. Vis igitur per hoc verbum Auguſtini ſufficienter probatum eſſe, contra totius Eccleſiæ fidem, tot ſæculis vbique per omnes Catholicos patres (quos in maximo ſanè numero recenſent contra ſæpe confutatum errorem veſtrum, cuius inuentor per Berengarium Diabolus, mendacij pater fuit: Lanfrancus, Guimundus, Algerus, Vualden, Biel, Roffenſis, Gratianus item & tota caterua ſcholaſticorum Theologorum) prædicatam, quòd panis & vini ſubſtantia in Euchariſtia permaneat.

Subdole autem obtices locum, In quo verba iſta ſunt ab Auguſtino dicta, ne aduerſarij mox inſpecto eo loco fraudẽ tuam deprehẽdant, licet aliâs, vbi fraudis tibi non ita conſcius es, plærumque locum vel in textu vel in margine indices.

Dolus in allegatione.

Solutio.

ces.

ces.Reſpondeo igitur:Primũ ſanè,quòd hoc dictum Auguſtini non debet intelligi de pane & vino, quia non ſunt elementa panis & vinum,ſed elementa potius & ex elementis compoſita,vt ſciunt omnes philoſophi. Deinde ,quòd ipſe Auguſtinus hoc non de Euchariſtia,ſed de baptiſmo dixit. Habetur ſanè verbũ iſtud in tractatu L X X X .ſuper Ioannis Euangelium,& allegatur,tum à Gratiano,tum à Magiſtro ſententiarum,ab vtroque autem, non de Euchariſtia ; ſed de baptiſmo,cuius elementum aqua eſt. Sed non opus eſt nobis aliorum hîc teſtimonio, quoniam Auguſtinus ipſe clariſſimè idipſum aſſerit in textu . Sic enim habet.

De cõſecra.diſt. 4.ca. illud. In ſentẽ lib.4. diſt.3.ca 1. In decr. 1.quæſt. 1.ca. Detrahe

Verba Auguſti ni.

Iam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis. Quare non ait: Mundi eſtis propter baptiſmum,quo loti eſtis,ſed ait,propter verbum quod locutus ſum vobis : niſi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid

quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiā ipſum tanquam viſibile verbum. Nam & hoc vtique dixerat, quando pedes diſcipulis lauit: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciēte verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. Nā & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiēs, aliud eſt virtus manens.

Quid hîc vides Muſcule, vel de Euchariſtia, vel de pane & vino? Quid vanè inſultas, quod non dicit: Mutat vel aufert, ſed accedit? Quis tam cæcus eſt, vt non videat, longe aliam eſſe rationem de verbis, quæ dant formam Baptiſmo, quàm de verbis per quæ conficitur Euchariſtia? Nuſquam profectò dicitur de aqua baptiſmi, ſicut de calice dicitur: Hic eſt ſanguis meus, & ſicut de pane p tranſſubſtātiationē, Hoc eſt corp⁹ meū. Vaniſſima eſt igitur hæc tua obiectio. *Alia ratio verborū in Baptiſmo, alia i Euchariſtia.*

Etiam

Panis tranſſubſtantiat' panis adhuc dicitur.

Etiam ſi aliqua ratione verbum Auguſtini de Euchariſtiæ Sacramento intelligatur, ſi elementum accipiatur improprie pro pane & vino. Nã & panis trãſſubſtãtiatus dicitur alicubi panis adhuc, propter remanentes ſpecies & accidentia panis, ſicut ait Apoſtolus ad Corinthios: Panis quẽ frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt. Et in Canone miſſæ poſt conſecrationem iam factam ait ſacerdos: Panem ſanctum vitæ æternæ, et calicem ſalutis perpetuæ. Et vetuſtus autor Tertullianus ad vxorem: Non ſciet maritus (inquit) quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciuerit panem non illum credit eſſe qui dicitur. Neque igitur elienum à ſcripturis eſt, panem propter remanentes ſpecies, adhuc panem dici, licet ſubſtantia ſit tranſmutata. Nam & virga Aaron in colubrum ſubſtantialiter conuerſa, ſimiliter & virgæ Magorum in Dracones verſæ, poſt eam mutationem adhuc virgæ dictæ ſunt.

1. cor 10

Tertul. li. 2. ad vxorem.

ſunt. Ita enim habet textus: Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Exod. 7.

Cætera, quæ ex Auguſtino refers, magis contra te quàm contra nos ſunt. Neque noua eſt hęc fraudulentia hæreticorum. Nam ante te ſic fecit Oecolampadius, qui multa ex Auguſtin. & Chryſoſto. aliiſque Eccleſiæ Doctoribus allegauit, in falſũ ſenſum detorta, quæ Roffenſis Epiſcopus in verum ſenſum reſtituit. Et lõge ante vos impius Vuicleph, qui eodem tenebatur errore, tam frequẽter allegauit Auguſtinum, vt à ſuis Ioannes Auguſtini dictus ſit. Tanquam nihil aliud eſſet Vuiclephi doctrina, quã ipſiſſima doctrina Auguſtini Merus eſt igitur fucus & dolus, quicquid ex Auguſtino cõtra Tranſſubſtãtiationis veritatem prætendis. Satis enim manifeſtè ſupra oſtẽſum eſt, quid ea de re (licet Trãſſubſtantiationis vocabulo non vtatur) ſentiat Auguſtinus, dum fatetur apertè, Ante conſecrationem eſſe panem, ſed

Hæreticorum fraus in Auguſtino.

poſt

De cõſecra. diſt. 2. capi. Qui mãducat.

poſt conſecrationem eſſe corpus Chriſti, non ſubſtantiã panis, ſed formam dumtaxat aut ſpeciem panis. Non igitur contra nos, ſed contra vos, eſt illud. eius verbum, quod ex Gratiano recitas: Iſta ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur: Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: Quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Ecce apertè dicit: Quod videtur, ſpeciem habet corporalem, ſicut & nos dicimus, ſed non dicit, ſubſtantiam habet corporalem, ſicut vos dicitis. Sed attende, ô Muſcule ad ea, quæ mox ſubiungit: Qui accipit myſterium vnitatis, et non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe.

Quod autem pro vocabulo Tranſſubſtantiationis (quod à tota Eccleſia in Generali Concilio Lateranẽſi approbatũ & receptum eſt) ſuggeris nobis vocabulũ Tranſcõditionationis, mera temeritas

meritas

meritas eſt ex improbo nouandi & con tradicendi ſtudio, Quod tam facilè reiicitur, quàm friuolè à te excogitatur: Quoniam neque ſcriptura neque ſanctorum patrum quiſpiam, neque Eccleſia vſpiam recepit, aut approbauit hoc tuæ adinuentionis vocabulum, quod vtique verbū Dei non eſt, ſed inanè ſomnium tuum.

Quæ de ſimilitudine ſigni ad ſignatū obiicis, inerudita ſunt & impia. Nos longè meliorem ex Auguſtino rationē ſimilitudinis didicimus, quæ & in Chriſti & in Pauli verbis fūdata eſt: Nam ſicut ex multis granis vnus efficitur panis & ex multis racemis aut vuis vnum con fluit vinum: Ita & nos multi vnus ſumus panis, & vnū corpus (vt ait Apoſtolus) omnes qui de vno pane, & vno calice participamus. Quod & Dominus ipſe Patrē rogauit, vt vnū ſint omnes qui cre dūt in ipſum. Vos autē impiiſſimè abutimini

Similitudo ſigni ad ſignatum.

timini hoc Sacramento vnitatis ad hæreſes & ſchiſmata contra Eccleſiæ vnitatem. Et tu impie ſpecies panis & vini in Euchariſtia dicis nudas, vacuas & inanes. Cùm reuera contineantur ſub illis ſpeciebus vera caro ac verus ſanguis Chriſti. De quibus ipſe Dominus ait: Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus.

Quis verò tam inimicus eſt animę ſuę ſaluti, vt impię & ĩdoctę loquacitati tuę plus quàm ſanctis patribus & toti eccleſiæ credat, dum friuolè negas, Chriſtum in cœna nouiſſima conſecraſſe & obtuliſſe Corpus ſuum: Negas item ſacerdotium Apoſtolorum & conſecrandi poteſtatem à Chriſto datam, & per hoc ex venerabiliſſimo Sacramento Euchariſtiæ nihil aliud quàm merum panem & vinum facis. Idque audes abſque omni & ſcriptura & patrum teſtimonio. Ais enim neq; Apoſtolis nèq; nobis à Chriſto datam eſſe conſecrandi & offerendi

pote-

poteſtatem,ſed ſolùm mãdatum facien-di hoc in eius memoriam. Quid hoc? manducare (inquis) panem & bibere vinum,ſed non conſecrare, neque offerre corpus & ſanguinem Domini. Vbi hęc, obſecro,ſcripta ſunt? Aut vbi ſcriptum eſt,quòd cum pane corpus & cum vino ſanguinem ſuum dederit Chriſtus, ſicut vos dicitis? Impia conſecrationis abnegatio.

Quid quod in multiloquio iſto tuo inaniſſimo hoc ipſum quoque negare videris? Ais enim quomodo fieri potuiſſet,vt Chriſt⁹ de corpore ſuo,quod præſes inter diſcipulos ſedebat,diceret:Hoc eſt corpus meum? Si enim de corpore id ſuo(inquis)dicere voluiſſet,verſa manu corpus ſuum demonſtraſſet,ſicut quidam Doctor non rectè dixit.

Sed heus tu infidelis & improbè Achis,qui ſemper quæris,quomodo eſt,& ad ſcientiam veritatis impia ſcrutatione nunquam peruenis: Lege Auguſtinum ſuper Pſalmum x x x I I I. vbi declarat,

quomodo Chriſtus (qui eſt verus Dauid manu fortis) ferebatur tunc in manibus ſuis, quādo diſcipulis ſuis corpus & ſanguinem ſuū in cœna tradebat. Satius eſt ſimpliciter credere, quàm indoctè diſputare, & impiè ſcrutari Diuinæ maieſtatis potētiam. Scriptum eſt enim:

Pro. 25. Eccle. 3 Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria: Item, Altiora te ne quæſieris, & fortiora tè ne ſcrutatus fueris.

De Canone miſſæ. Cap. VI.

Canō ſecreta actio eſt.

DE veſtra in ſacrum Canonem Miſſę ſcurrilitate procaciſſima, nonnihil dictum eſt ſuprà. Hîc de quibuſdam calumniis, quantum potero breuiter reſpondebo. Primùm igitur, quod non debet paſſim omnibus tradi, aut legi palā: Ideo fit, quia multa & ſumma religionis & pietatis noſtræ cōtinet myſteria, hoc eſt, ſacra arcana: non debet igitur hoc ſanctum dari canibus impiis ad blaſphemandum id, quod neque credūt neque intelligunt, in publicum,

ſed

ſed reſeruari potius in arcano ſacerdotibus, quorum officiũ eſt ea tractare myſteria. Deinde, quòd eum facis neotericum, quaſi ne Auguſtini quidem temporibus fuerit, ſuprà reprobatũ eſt ex verbis plæriſque, quæ ab Ambroſio (qui aliquanto ſenior quàm Auguſtinus in fide & ſacerdotio Chriſti fuit) ex Canone ſunt recitata. Quibus & iſta eiuſdẽ Ambroſij verba nõ abs re adiici poſſunt ex alio eius libro: Cùm tibi ſcriptura teſtetur, inquit, quod ad Hieroboal preces ignis deſcenderit de cœlo. Et rurſus precante Helia ignis eſt miſſus qui ſacrificium conſecrauit: Non merita perſonarum cõſyderes, ſed officia ſacerdotum. Et ſi merita ſpectas, ſicut Heliam conſyderes: Petri quoque merita ſpectato vel Pauli, qui accepto à Domino Ieſu hoc nobis myſterium tradiderunt: Ignis illis viſibilis mittebatur vt crederẽt; Nobis inuiſibilis operatur qui credimus. Illis in figuram, nobis ad commonitio-

Ambro. de myſt. initian. cap. 5.
Iud. 6.
3. Re. 18

nem. Crede ergo adeſſe Dominũ Ieſum inuocatum precibus ſacerdotum. Ex his Ambroſij verbis facile intelliges, ea myſteria, quæ in Canone habentur & tractantur, non eſſe noua neque pro hominũ figmentis habenda, ſed ab Apoſtolis Petro & Paulo aliiſque nobis tradita, quę ipſi à Domino Ieſu acceperant. Et non pauca Canonis Miſſæ verba refert etiam ex Auguſtino Gratianus, & quidem in eo ipſo Capitulo, quod tu ſuprà cõtra nos obieceras. Fieri nihilominus potuit, vt quædam deinceps verba fuerint à Gregorio Papa aut ab aliis adiecta. Tu ſi potes, reſponde ad ea quæ ex Ambroſio & Auguſtino producta ſunt.

De cõſecra. diſt. 2. cap. Qui manducant.

Tremenda myſteria.

Tertio, quod noſtrã derides religioſam deuotionem, dum ea quæ Canonis ſunt, cũ maiore attentione ac timore quantũ humana permitit fragilitas, & proferimus in verbis, & tractam⁹ in myſteriis. Facis vt impius apoſtata & verè Mamaluchus, qui ferè omnia, quæ in Chriſti

my-

myſteriis tractamus, abnegas, atque etiã irrides. At Paulus in Epiſtola ad Philip. docet nos cum metu & tremore noſtrã operari ſalutem: Et Dauid, Seruire Domino in timore. Audi igitur, quid cõtra hanc inſaniam veſtram dicat diſertiſſimus Chryſoſtomus: Hoc (inquit) miniſterium (ſacerdotum ſcilicet in ſacrificio altaris) quæ diſpicere audebit inſania? An neſcis, ait, quoniam humana natura nunquam in ignem talis hoſtiæ ſuf ficeret, ſed tota fũditus interiret, niſi magnum gratiæ Dei eſſet auxilium? Nam ſi quis introſpiciat, quantum ſit, hominem carni adhuc & ſanguini colligatum, beatæ illi & ſimplici naturæ, fieri poſſe vicinum: tunc diligenter intelliget, quod ſacerdotes ſpiritus ſancti gratia honorare dignum ſit. Per hoc quippe miniſteria illa cõplentur, atque alio nullo his minora tam grandibus, vel ad rationem ſalutis noſtræ, vel etiam dignitatis. Hi nãque qui terram incolunt, atque in ea cõ

Philip. 2

Pſal. 2.

Chryſo. de dign. ſacer. lib 3.

Sacerdotum dignitas.

uerſantur,cœleſtia diſpẽſare meruerunt. Et poteſtatem acceperũt,quam neq; angelis neq; Archangelis dedit Deus.Hæc Chriſoſtomus,non ad plebẽ, ſed ad Baſilium Magnum, De quo dictum eſt in ſexta Synodo (vti refert Gratianus) quod eius claritas per totum orbem refulſit. Tradidit & iſte iuxta ritum Græcorum Miſſæ ſacrum Canonem & ritum in ſcripturis. Similiter & Chryſoſoſtomus. Quibus nimirum longè maior eſt & fides & autoritas apud veros Chriſtianos quàm vobis Apoſtatis. Et poſt iſtos Damaſcenus quoq; pius & vetuſtus Theologus, iſta miſſarum myſteria vocat tremenda vitaliaq; ſacramẽta, Citatque Chryſoſtomum,qui teſtificatur contra nouas hæreſes veſtras, à ſapientiſſimis Chriſti diſcipulis ſancitum ac traditum eſſe, vt ſacerdos in tremendis myſteriis preces faciat pro fidelibus defunctis. I nunc impie ſacrorũ noſtrorum arroſor & oſor Muſcule,& deride

De cõſecra. diſt. 1. cap Iacobus.

ride amplius hæc tremenda myſteria, quæ ſacerdotes in Canone peragunt, quæ ſcilicet neque Angeli neq; Archangeli peragere poſſent, vt ex Chryſoſtomo dictum eſt.

Quarto, Arrodis & hanc ſacratiſſimam oratione͂, quam ſuper conſecratos pane͂ et calice͂ dicit ĩ Canone ſacerdos: Supra quæ propicio ac ſereno vultu reſpicere digneris & accepta habere, ſicut accepta habere dignatus es munera pueri tuĩ iuſti Abel &c. Hanc tu oratione͂ impuro corde et ore ſupramodũ impiã ac peruerſã eſſe dicis. Garri aute͂ vt lubet nos huius orationis pulchrã et piã habemus expoſitionem, tum ab Innoce͂tio Papa III, tum ab Alberto magno, & eam ab vtroque ſcripturis ita munitã, vt ſpumæ inanes verborũ impiorũ cõtra eam preualere minimè queant. Nã et S. Ambroſius huius orationis verba, tamquàm ſole͂nia et ãtiquitꝰ vſitata ĩ celebratione miſſarũ, venerabiliter recitat, vbi de Sacramentis

Oratio Canonis poſt conſecrationem.

Inno. li. 5. ca. 3

Albertus de offic. miſſæ

Tracta. tu. 8. cap 14.

cramentis agit. Innocẽtius ſanè poſt multa ſic ait: Verum non ſolùm in offerentibus, ſed etiam in ipſis oblationibus debemus ſimilitudinem intueri. Nam illa vetera ſacrificia hoc nouũ ſacrificiũ figurabant. Quid enim per munus Abel offerentis de primogenitis gregis, niſi Christus exprimitur, primogenitus in multis fratribus? Nam ſecundum Apocalypſim Ioannis: Ipſe eſt agnus, qui occiſus eſt ab origine mũdi. Quid per ſacrificiũ Abrahæ dilectum & vnicum filium offerẽtis, niſi paſſio Domini deſignatur? Oblatio verò Melchiſedech tam propriè nouum ſacrificum præſignauit, vt inde prædictum ſit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech. Qui per omnia, ſecundum Apoſtolum, aſſimilatus filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. Hæc Innocentius non ex figmento humano (vt calumniaris tu) ſed ex ſolidis & ſanctis ſcripturis.

Christ' præfiguratus in ſacrificijs veterum.

Ro. 8.

Apoc. 13

Gene. 22.

Gene. 14.

Pſal. 109.

Heb. 7.

Albertus verò exactius copioſiúſque omnia,

omnia,quæ continet hæc oratio ex ſcripturis declarat & confirmat:ſed cùm breuis eſſe cupiam,non poſſum hîc omnia commodè referre.Hic duo,inquit, continentur:In quorum primo id quod petitur, exprimitur. In ſecundo figuræ de cœlo receptæ cōmemorātur.Dicit ergo: SVPRA QVAE, ſcilicet dona ac data, tibi oblata,RESPICERE DIGNERIS,de cœlo,ſicut ſcriptum eſt.Eſai.66. Cœlum mihi ſedes eſt: Ad quem autem reſpiciam,niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. Pauperculus enim Chriſtus fuit, quando nudus offerebatur.Cōtritus ſpiritu, cum ſpiritu voluntario contritus plagis & liuoribus, ac vulneribus propter nos offerebatur.Eſaiæ.53. Attritus eſt propter ſcelera noſtra. Tremebat autem ſermones patris, quando offerens ſe dixit:Non mea, ſed tua voluntas fiat.Et hanc offerimus hoſtiam,& nos in hoſtia, & ideo petimus te reſpicere ſupra iſta.

Propicio ac Sereno vultu.

PROPICIO AC SERENO VVLTV. Propicio quidem in dimiſſione peccati pro quo offertur hoſtia. Hieremiæ 31. Propiciabor iniquitati eorum. Sereno autem, propter bonos qui in hoſtia offerũtur. Et de hoc dicitur in Pſalmo ſexageſimo ſexto: Illuminet Deus vultum ſuum ſuper vos (ecce ſerenitas) & miſereatur noſtri (ecce propiciatio.) Sumitur autem iſtud Numeri ſexto, vbi ſic dicitur: Oſtendat Deus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Facies enim Domini ſemper ſerena eſt, & miſericordia eius facit propicium. ET ACCEPTA HABERE. Pro omnibus quæ in ipſa offeruntur hoſtia. Pſalmo 50. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta. Hoc eſt, quod pro omnib⁹ fecit iuſtitiã ſatisfactionis. SICVT ACCEPTA HABERE DIGNATVS ES. Ecce commemorationem figurarum, quarum ſemper vna plus manifeſtat de veritate Sacramenti quàm alia.

Prima

Prima enim manifeſtat oblati paſſionem: ſecunda oblati vnigeniti dignitatem: tertia ſacrificij ritum & veritatem. Sicut autem (aduerbium,) hîc non dicit æqualitatem, quia noſtrum multo acceptius eſt illo. Et illud non fuit acceptum niſi in fide iſtius. Et ideo aduerbium notat relationem reſpectus ad typum, & ſic notat non æqualitatem, ſed talem ſimilitudinem qualis poteſt eſſe typi ad veritatem. Hæc & id genus multa doctiſſimè pariter & piiſſimè Albertus iſte: Quæ ſi vos Apoſtatæ & Poëtici Theologi tam ſtudioſè legeretis, quàm legitis omnium religionum deriſorem Lucianum Græculum, non eſſetis tam impij myſteriorum Miſſæ deriſores & calumniatores.

Quintò, Cauillaris & in iſtam Canonis orationem: Supplices te rogamus omnipotens Deus: Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui, in ſublime altare tuum, in conſpectum diuinæ maie- Cauillatio alia.

ſtatis

ſtatis tuæ: At neque hæc oratio recens inuenta aut à nobis excogitata eſt: Sed bonã eius partẽ recenſet S. Ambroſius, Cuius hæc ſunt verba, quæ inter cætera à ſacerdote in altari dici affirmat: Et petimus & precamur, vt hanc oblationem ſuſcipias in ſublimi altari tuo, per manus angelorum tuorum. Et pulchrè exponitur hæc oratio, tum ab Innocentio ſupra dicto, qui ex ſcripturis multiplex colligit altare: Tum ab Alberto Magno qui ſic orditur continuãdo hanc orationem ad priora.

Ambro. de ſacramentis. lib. 4. ca. 6.

Præſentia angelorum in Miſſa.

Hic (inquit) poſt Sacramenta, virtute quorum ad Deum eleuatur hoſtia, tangitur de ipſius ſubleuationis modo quo cũ omnibus ad hoſtiã pertinẽtibus, ad Deum in cœlum ſubleuatur. Tangũtur autẽ hîc quinque per ordinem, Quorũ primũ eſt imploratio, vt iuſſu Dei ſubleuetur: Secũdum vt eleuetur miniſterio angelorũ: Tertium, vt in altare dei perferant: Quartum, vt cum ipſo & in ipſo

com-

communicantes Sacramento ad cœlum perferantur: Quintum, vt ſic perlati in cœlum, benedictione gratię repleantur. Cęterùm eius declaratio nimis prolixa eſt, ad propoſitum. Sufficiat igitur celebre Sancti Gregorii teſtimonium, quod in dialogis eius ſcriptum habetur, & à piis frequentiſſimè allegatur, quod & ſupra allegatum eſt: Quis (inquit) fidelium dubium habere poſſit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtib᷒ iũgi, vnũque ex viſibilibus & inuiſibilibus fieri. Greg. in Dialo. li. 4. cap. 58.

Quod autem tu derides non ſolùm verba orationis, verum etiam geſtum ſacerdotis, qui humiliter ſupplicans manus in tranſuerſum ponit, nempe dexteram in ſiniſtra, ſiniſtrã in dextra parte altaris (ſicut feciſſe legitur Iacob Patriarcha in benedictione Ephraïm & Manaſſe filiorum Ioſeph) Albertus com- Deriſor humilitatis. Ge. 48.

probat

probat autoritate ſcripturæ, quæ dicit Eccleſiaſtici trigeſimoquinto: Oratio humiliantis ſe penetrat nubes. Tu ve-
2 Reg. 6 rò ſimilis in hoc videris ſuperbę Michol vxori Dauid, quæ Dauid regem ante arcam ſaltantem deriſit, & contempſit. Quod ille ægrè ferens, dixit: Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum: Ludam & vilior fiam plus quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis. Sic & tibi cæteríſque humilitatis & pietatis noſtræ deriſoribus rectè dicere poſſumus: Non enim dedecoroſum nobis eſt, humiliari in conſpectu Domini, iuxta Canticum Marię ſemper virginis & dei genitricis, cuius humilitatem reſpexit
Luc. 1. Dominus, qui & ſuperbos diſperſit & humiles exaltauit.

Sextò, Impugnas liuidè ſanctorum commemorationem, quæ in Canone habetur: Sed nihil efficies. Tam piè enim & cautè ſunt de iis verba in Cano-

ne poſita, vt neque Iudæus neque Turca vllo cauſationis prætextu iuſtè reprehendere poſſit. Et ipſi Lutherani non memoriam neque venerationem Sanctorum, ſed inuocationem dumtaxat reprobant. E noſtris autem permulti & ſtrenuè, & copioſè defenderunt cõtra vos, & proauos veſtros Vualdenſes, & Vuiclephitas, non ſolùm venerationem, verum etiam inuocationem ſanctorum.

Quam & ego nuper in Philippica ſexta per gratiam & adiutorium Dei ſic aſſerui, vt lector inde facilè intelligere queat, vos contra Sanctos non ratione aliqua moueri, ſed à ſpiritu maligno agitari aduerſus eos mera inuidia & ſuperbia: Dum mulierculæ veſtræ impia impudentia gloriantur abſurdè, ſeſe tam bonas eſſe quàm eſt Maria, benedicta Dei genitrix. Viri verò ſuperbè ſe Petro & Paulo æquiparare non verentur. Sed enauigauerunt feliciter ex

Inuidia & ſuperbia in ſanctos.

hoc

hoc mundi ſalo ſancti Dei omnes,& in tuto portu collocati,atque cum Chriſto regnantes,non timent amplius, quid ſibi facere queat homo in reprobum ſenſum datus,aut caro, quæ ſpirituale & cœleſte regnum Dei non intelligit.

Aſſertio ceremoniarum Miſſæ.

Cæterùm pias obſeruationes & Ceremonias Eccleſię,hactenus per tot ſęcula circa Miſſarum celebrationem publicè receptas & vſitatas, Quas tu vaniſſimis cauillis malitioſe arrodis ,defenderunt iam olim acutiſſimi et Doctiſſimi Theologi noſtri, Albertus Magnus, Sanctus Thomas,Bonauētura, Alexander de Ales,Innocentius Papa III.Hugo de Sancto Victore, & longè poſt eos Thomas Vualden Anglus, & Gabriel Biel Germanus:Atque temporibus noſtris piiſſimus Theologus Iudocus Clichtoueus Gallus ,& heræticorum Cenſor Alfonſus Hiſpanus, vt ſuperuacaneum omninō videri poſſit,inaniter aduerſus ſcurriles garrulitates tuas in ventum verba

fnudere,

fundere, & vocem in contentionem per dere, vt ait Tertullianus. Quare conſultò eas omitto & tranſeo. Tertull. de præſcrip. hæretic.

EPILOGVS.

EX his itaque, ſi quos habes adhuc videndi oculos, ô Muſcule, clare videre poteris, quàm iniqua, calũnioſa, & impia ſit aduerſus ſacerdotium ſacrificiũque Chriſti & Eccleſiæ doctrina tua & tui ſimilium: Cuius generale fundamentum nullam habet firmitatẽ. Omniũ enim quæ aboletis vnam hanc habetis rationem, quòd in ſcripturis non habentur. Quàm fragilis autem & inepta ſit hæc ratio, iam ſuprà ſæpè ac multifariàm dictum eſt, & pluribus eam confutaui nuper in aſſerendo animarum purgatorio igne, & in Philippicis Quinta & Sexta. Aut igitur defende quæ contra falſitatis veſtræ fundamentum obieci, aut confitere ſiue apertè ſiue tacitè, te tuóſque impiè hactenus & blaſphemè contradixiſſe, ac vim in- Falſum hæreticorũ fundamẽtũ

tuliſſe ſanctiſſimis myſteriis et inſtitutis quæ Eccleſia per ſpiritus ſancti ſuggeſtionem, & per manus & traditionem Apoſtolorum à Chriſto accepit, ac tot retrò ſæculis obſeruauit ſemper, & ab hæreticorum (vobis in doctrina conſentientium) impugnationibus variis ſtrenuè defendit.

Ioh. 16.

Nō omnia ſunt ia ſcripturis cōtenta aut expreſſa.

Intende igitur omnes ingenij tui neruos, vt ex ſcripturis probes nobis, omnia abolenda eſſe Eccleſiæ myſteria, & inſtituta, quæcunque in ſacris literis non ſunt expreſſa. Ego autem & ſuprà & alibi oſtendi tum ex ſcripturis, tum ex ſanctis patribus, neque oportere neque etiam decere, vt omnia ſacra & myſteria fidei noſtrę propalētur paſſim omnibus, & in publicum per ſcripturas euulgentur. Petij præterea, vt oſtendas nobis vllos Chriſtianos, per tot retro ſæcula & per totum orbem terrarum, apud quos non fuerit inter Sacerdotes & laicos vlla diſtinctio, nec ſacrificij

vſus

vſus aut miſſarum ad altare celebratio. Libenter profecto videbo, quibus tu aut complicum tuorum quiſpiam ſcripturis probare poſſis, ſummum fidei Chriſtianæ articulum, aduerſus Iudæos, Turcas, Tartaros & Sarracenos, Arrianos item & Sabellianos & id genus plæroſque alios hæreticos, ab Eccleſia perpetuò per ſpiritus ſancti inſtinctum approbatũ & receptum, quod in vna Deitatis ſimpliciſſima eſſentia ſint tres perſonæ, non ſubſtantialiter ſed perſonaliter dumtaxat inter ſeſe diſtinctæ. Et quare potius Tres perſonæ quam Tres viri, aut (ſi abſque piarum aurium offenſione dici queat) Tres Laruæ aut Tres Chimeræ dicantur. Quod ſi recte confiteris nobiſcum Tres perſonas, abſque expreſſo ſcripturæ teſtimonio: Cur non confiteris & ſupradicta aliaq; permulta quę tota Eccleſia Chriſti ſemp & vbiq; ſimiliter credidit docuitque & aſſeruit? Quòd ſi dixeris, omnia que ad ſalutem

Articul⁹ de Trinitate perſonarum.

Non oïa ad ſalutẽ neceſſaria ĩ ſcri pturis expreſſa eſſe.

animæ neceſſariò credẽda ſunt, per ſcri pturas expreſſa eſſe, alioqui defectuoſa et manca eſſet ſcriptura. Ad hoc obiter (ſaluo ſemper meliori iudicio) ita reſponderim: Neque omnia in ſcripturis expreſſa eſſe, quæ credere oportet, neque ſcripuras propterea mãcas dici debere. Eo quòd, nõ decuerit (vt ſæpe dictũ eſt) omnia myſteria per publicas euulgari ſcripturas, & contra defectuoſitatem neceſſariorum abundè prouiderit nobis Deus omnipotẽs in ſcripturis, vbi autoritate Enangelij promiſſus eſt nobis ſpiritus ſanctus, qui nos doceat omnem veritatem, & ab ipſo Chriſto mandatum eſt, vt pro Ethnico & Publicano habeatur, qui Eccleſiam audire noluerit. Et ab Apoſtolo eius Paulo non fruſta dictũ eſt, Eccleſiam eſſe columnam & fundamentum veritatis. Qui & contra contẽtioſos dixit: Nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia dei. Atq; Theſſalonicenſibus expreſſè præcepit,

Ioh. 14. Matth. 18. 1. Tim. 5 1. Cor. 11. 2. Theſ. 2.

vt ſtent ac teneant traditiones quas didicerũt ſiue per ſermonẽ,ſiue per epiſto lam ipſius. Eccleſia igitur in neceſſariis ad fidẽ & ad ſalutẽ manca aut defectuo ſa non eſt,quia habet ſpiritum ſanctum, qui & docet eam omnem veritatem, & cum ea permanet inæternum. Nuſquam autem ſcriptum habetur, quod omnis veritas, quæ ad fidem & ſalutem neceſſaria eſt, ſit in ſacris literis expreſſa. Sed contrarium patet, tum ex Hieremia,tũ ex Paulo. Hic enim ait ad Corinthios: Epiſtola noſtra vos eſtis,ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus:manifeſtati, quoniam epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis,et ſcripta,nõ atramẽto,ſed ſpiritu Dei viui.Ille verò in perſona dei ſic:Dabo legem meam in viſceribus eorum,& in corde eorum ſcribam eam. 2. Cor. 3 Hiere. 31.

Has tu,complicéſque tui,falſi Concionatores,ſcripturas improbè diſſimulantes, inſignem et præclaram Ciuitatem populumq; Scelus Muſculi & cõplicũ eius.

populumque Auguſtenſem ſceleratiſſimè ſeduxiſtis,& ab Eccleſiæ Catholicæ vnitate fideque & obedientia per falſos ſermones abſtraxiſtis, atque contta legem charitatis in ſectas diuerſas diſperſiſtis,& populum antea humaniſſimũ & cultus Diuini ſtudioſiſſimum (qui cum Clero placidè ac vnanimiter in Domo Dei ambulabat)ita peruertiſtis,vt Epiſcopus ac venerabile Capitulũ Cathedralis Eccleſiæ Auguſtenſis, permulta in publico ſcripto illi populo exprobrauerint,ad quæ vos ſcelerum autores accuſante intus & culpam agnoſcente conſcientia veſtra, hactenus tot annis obmutuiſtis:cum ſitis alioqui quauis anu ſcurráve aut lotrice loquatiores.

Verba Epilogi Apologiæ.

Quid poſſet autem inanis loquacitas veſtra, ſaltem contra Epilogum illorum Apologiæ? In quo inter cætera ſic habetur: Cum igitur Auguſtentium & perpetrata acta & euulgata ſcripta ſint contra Deum, contra omne ius, contra

tra generalem & imperialem pacem publicam, contra ſacri Imperij Receſſus, & contra ipſorum promiſſa, atq; etiam contra veſtrarũ Cæſareæ et Regiæ Maieſtatum promulgata mandata. Ad hæc contra omnem honeſtatem & æquitatem, & alias ita habeãt, vt veſtris Maieſtatibus aliiſque ſacri Imperij ſtatibus, ac vnicuique merito diſplicere, atque abominabilia horrendaque videri debeant. Petimus itaque, vt Auguſtenſium ſcriptis (quibus nos pro libitu ſuo traducunt, cauſamque ſuam multis figmentis falſiſque interpretationibus & expoſitionibus colorare conantur, nobiſque omnem iniuſtitiam, qua nos affecerunt, calumnioſè imputant) neque auditum prębeatis, neque fidem habeatis, ſed noſtræ potius excuſationi & Apologiæ, quam per ipſorum proprium & iuratum librum ciuitatis publicum, & per eorum proprias literas & ſigilla probare volumus & poſſumus, atque

ad hoc faciendum nos offerimus vltrò.
Hæc in Epilogo.

Qualia verò & quanta ſint ea, quę per totam referuntur Apologiam, nolo hîc refricare, ne magis contra Senatum Populumque & ciuitatem Auguſtenſem, (cui certè optimè conſultum velim) quã contra veſtras impietates & falſas doctrinas cauſam ſuſcepiſſe videar. Quam tamen ita ſuſcepi abſque omni perſonarũ odio & inuidia, vt patefactis mea reſponſione nequitiis & erroribus veſtris, velim
Eſai. 45. & optem vos præuaricatores redire ad
Apoc. 2. cor, & cogitare vnde excideritis, agereque pœnitentiam, vt nobiſcum in Eccleſiæ vnitate ſaluari poſſitis: Quod vobis concedat per meritum paſſionis & mortis Chriſti Ieſu domini noſtri omnipotens Deus, pius pater & miſericors dominus Amen.

APPENDIX.

POſt hæc ſcripta contigit mihi videre nouos, ac nuper editos commenta-

mentarios, Muſcule, tuos in Euangelium Matthæi: quos ſanè etſi auidè legi ſuper iis quæ Euangeliſta capite 26. narrat de cœna Domini, ſine faſtidio tamen perlegere non potui. Tanta eſt ibi per ſex magna & integra folia prolixitas, & nugacium verborum inundatio. Tametſi aliquanto moderatior, minúſque malignus & impius ibi videaris, quàm viſus es in Teuthonico aduerſus Miſſam ſcripto. Cômentarij in Mattheũ

Reprehendis quidem ibi Zuinglianorum errorẽ, qui verba Chriſti impiè deprauant, & peruerſo ſenſu ſic exponunt: Accipite & manducate, Hoc ſignificat Corpus meum, & hic calix ſignificat ſanguinem meum. Nam donum, inquis, hîc datur & exhibetur, non ſignum declaratur. Sed inexcuſabilis es ô Muſcule, qui ſic iudicas. In quo enim alios iudicas, teipſum condemnas. Quia in toto cœnæ ritu Zuinglianus es, quòd profectò atteſtabitur vnuſquiſque, qui ritum cœnæ publicè peragi viderit Auguſtæ ac Tiguri. Reprehenſio Zuinglianorum.

guri. Quid enim eſt vtrobique differentiæ? Neque tu interim à crimine falſi alienus es, qui eadem Chriſti ſacratiſſima verba ſacrilego auſu peruertis.

Crimen falſi.

Chriſti enim verba ſic habent: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti. Tu verò, vt tranſſubſtantiationem neges, verba Chriſti corrumpis, & ex nominatiuo caſu ablatiuum facis, & addis hæc verba: Panem & vinum, quæ certè Chriſtus ad ſuæ conſecrationis verba non appoſuit. Sic enim ais: Cum hoc pane eſt corpus meum: Cum hoc vino eſt ſanguis meus. An verò leue eſt hoc tuum aduerſus Chriſtum & Eccleſiam eius crimen falſi & ſacrilegium?

Superaddis & aliud crimen, dum verba patrum, de mutatione panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti, nouo corrumpis figmento: Quaſi non de ſubſtantiæ, ſed de conditionis mutatione locuti fuerint. Dicis itaque eam mutationem

nem conditionalem, non ſubſtantialem, & tranſconditionationem, non tranſſub ſtantiationē dicendam eſſe. Quibus verò ſcripturis hæc ſomnia tua confirmas? Nullis omnino. Miſerè autem fallit te ſimilitudo, quam de aqua baptiſmi affers. Nemo enim aquam illam mutari dicit, in aliud corpus aut elementum, ſicut mutari dicimus panem in corpus Domini, & vinum in ſanguinem. Videris itaque tandem propriæ conſcientiæ vi adactus, iſtam tuam ſententiam (qua tranſſub-ſtantiationem impiè negas) vltro abiicere, ac proprio iudicio (ſicut de hæreticis propheticè pronunciauit Apoſtolus) tuo condemnare. Sic enim ſubiungis. Chriſtus dixit: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Dicat ergo Chriſtianus, Domini ſui verba ſecutus: Non panem accipio, Non vinum bibo, ſed corpus Chriſti ſumo, & ſanguine Chriſti recreor. Quid enim aliud de menſa domini acciperem, quàm quod ipſe

Tranſcō ditionatio.

Ad Ti. 3 Sentētia Catholica.

ipſe conuiuator Chriſtus conuiuis ſuis dare ſe dixit? Corpus ſuum dedit nõ panem: ſanguinem, dedit non vinum: Alium cibum & alium potum in Cœna Domini non agnoſco: Hæc tua, Muſcule verba ſunt, quæ ego ſanè libenter approbo & ſuſcipio: ac quicquid iis contrariũ à te & omnibus aliis vſpiam ſcriptum reperitur, deteſtor, dãno, & Anathematizo, In nomine patris & fili & ſpiritus ſancti Amen.

APPENDIX ALTERA

ex Baſilij Magni ſcriptis.

Pulchra verba Muſculi in prefatione quadam.

Poſt hæc omnia, vidi, Muſcule, egregiam operã tuam, quã in editione operum Baſilii Magni eccleſię impendiſti, Vbi in præfatione poſt enarratas Baſilij laudes, Eccleſiæ cauſam ita cõmendas lectori, vt omnẽ videaris ibi dãnare hæreſim & impugnationẽ Eccleſiæ. Obteſtaris enim ibi per ſpiritum & ſanguinem Chriſti vniuerſos Chriſtiani nominis profeſſores, vt omnes neruos

intendant,

intendant, & pro viribus precando ad Deum & conſulendo huc luctentur, vt obtineat Corporis Chriſti vnitas, quæ in ſpiritu & veritate Dei, per vinculum charitatis & veræ pacis ſolidè conſiſtat, Vt cogitet quiſque Eccleſiæ cauſam nō eſſe priuatorum affectuum, ſed publicā omnium fidelium concernere ſalutem. In qua nemo Chriſtianus debeat, immò ſi Germanus ſit, ne poſſit quidem, quæ ſua ſunt ipſius ita quærere, vt reliquos eiuſdem religionis & nominis cōſortes in via Dei negligat, multo minus contēnat, omnium minime impediat. Cogitemus (inquis) Eccleſiæ cauſam, eſſe Dei & Chriſti ipſius. Et eos ante Tribunal Chriſti aliquando ſtaturos eſſe, qui impia quadam vel Adiaphoria, vel arrogantia omnem Eccleſiæ ſodalitatem contemnūt, quaſi membra in corpore Chriſti ſine reliquorum membrorum conſortio eſſe queant, conſpicuè prodentes, quàm non ſint & ipſi ſynce-

ra erga ſponſum Chriſtum & caput, eiúſque Eccleſiam fide & religione, etiá ſi acutiſſima ſpeculatione, quid ſupra Tertium in Quarto quoque cœlo geratur, contemplentur.

Aliter Latinè aliter Germanicè ſcribit Muſculus.

Hæc & id genus multa pulchrè ibi admones, tanquam obedientiſſimus fores Eccleſiæ filius. Quæ ſi ab externis & Germanicæ linguæ ignaris, qui conciones & lucubrationes tuas Germanicas neſciunt, legantur: meritò ſuſpicari poterunt, ſi hunc meum in te libellum legerint, aut calumnias eſſe ea quæ ego ſuprà ex propriis verbis tuis recitata reprehendi, aut alium quempiam eſſe Muſculum in quem ſcripſerim: præſertim cum ſcribas te ibi Duſanum, Ego autem in Auguſtanum ſcribo concionatorem. Tu vero & vniuerſa ciuitas Auguſtenſis, Compliceſque tui per omnem Germaniam, probè ſcitis, vnum & eundem eſſe autorem; tum illius præfationis in Baſilij opera in ſpeciem vſque adeò piæ

ac modeſtæ, tum ſcelerati & impij atq; blaſphemi libri tui Germanici, contra ſacerdotium & ſacrificium canonemq; ſacrum Teuthonicè à te euulgati.

Ne mireris igitur ſiquis in eam de te ſuſpicionem rapiatur, quod per hæreſim & apoſtaſiam à Diabolo captus & excæcatus, vel nihil prorſus ſeriò credas de Chriſti Tribunali & iudicio futuro, vel non videas aut conſyderes, quàm contrariis fluctues opinionibus, nunc in hanc, nunc in illam partem. Iuxta illud Iacobi Apoſtoli: Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Aut certe per Philautiam ſic in omnibus tibi ipſi placeas, vt alios homines pro fungis aut truncis, qui nullius ſint iudicii, habeas vt doloſas antilogias tuas deprehendere, aut videre non poſſint. Iuxta illud Pſalmiſtæ: Narrauerunt vt abſconderent laqueos, dixerunt quis videbit eos? Eſt namq; cõmunis hæreticorũ iuſto dei iudicio plaga & pœna peccati, vt

Grauis de Muſculi fide ſuſpicio.

Iac. 1.

Pſal. 63.

ſubuerſi

Tit.3. ſubuerſi delinquant, & proprio iudicio condemnentur, vt ait Apoſto. Paulus.

Dolofus ſimulator & diſſimulator Muſculus.

Non ſcriberem hæc Muſcule, niſi timerem, me apud externos, qui Teuthonica tua non legerunt, pro calumniatore haberi, dum legunt tuas latinas ex Græco verſiones, quibus vtiliter nobis in lucem protuliſti pia & erudita quædam & Chryſoſtomi & Baſilij opuſcula, ſanctóſque Sermones & Commentarios, vbi doloſè diſſimulas quæ in corde ſentis, & in opere prodis, ac Eccleſiæ amicũ te fraudulenter ſimulas, quam ſcriptis & concionibus Germanicis immaniſſimè oppugnas. Non ignoro equidem, qua nunc turgeatis vos noui Gigantes arrogantia atque ſuperbia, poſteaquàm Lutheri ſecta in multas non abſque graui Germaniæ malo dilatata eſt prouincias, quod eccleſiæ nomen & titulum veſtræ arrogatis parti (quamuis concordes per omnia non ſitis) quaſi vos ſoli ſitis vera Chriſti Eccleſia. Quemadmodum & ante vos

Arrogãtia hęreticorum.

omnes

omnes alij fecerunt hæretici, Quos Beatus Auguſtinus contra epiſtolam Manichæi ſcribens, in hæc verba confutat: Multa ſunt alia (inquit) quæ me in Catholicæ iuſtiſſimè teneant Eccleſiæ gremio. Tenet conſenſio populorum atque gentium, Tenet autoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, Tenet ab ipſa ſede PETRI Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum. Tenet poſtremo ipſum Catholicę nomen: Quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſolá obtinuit, vt cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quęrenti tamē peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere.

Aug. cōtra epiſt. fundamē ti. cap. 4

De hac ſucceſſione vide Aug. epiſtolam. 165.

Hæc Aug. contra nouam arrogantiam veſtram, qua Catholicæ nomen Lu-

theri ſectæ nunc tam impudenter quàm ſerò tribuitis,facti per hoc omnibꝰ aliis hęreticis impudentiores. Quid ita? quia omnes alij hæretici quærenti peregrino alicui, vbi ad catholicam conueniatur, non fuerunt auſi ſuam Baſilicam aut domum oſtendere,ſed oſtenderunt ei ſedē Petri & Rom. Eccleſiam,in qua erat certa ſucceſſio ſacerdotum. Ad quam & Irenæus propter principalitatem omnes,quotquot vndique ſunt, chriſtianos conuenire oportere cenſuit. Cùm igitur vos ad hanc eccleſiam Romanam non conueniatis, reuera neque catholici eſtis,neque chriſtiani,neque ad eccleſiam pertinetis,neque etiam ad Chriſtũ, qui eccleſiæ ſponſus & caput eſt. Arrogatis quidem nunc vobis eccleſiæ nomen,ſed circa ſectæ veſtræ principia,quando eratis pauci, docebat vos Lutherus contra Eccleſiæ autoritatem iactitare ſcripturas & verbum Dei. Vt ſi clamaremus nos Eccleſia,eccleſia, eccleſia,vos contra cla-

Irenæus lib.3.c.3

Lutherꝰ de abroganda. Miſſa.

tra clamaretis Scriptura,ſcriptura, ſcriptura. Si nos obiiceremus ſanctos patres aut generalia concilia,vos iactaretis verbum Dei. An non eſt ita Muſcule? Negare non potes,quia extant libri qui hęc habent.

Audi ergo nunc communem in te & in omnes hæreticos plagam Dei, per quam te ipſum proprio condemnas iudicio, vt Dominus te ſeruum nequam de ore tuo proprio iudicet. Obteſtaris in ſupradicta præfatione Latina per ſpiritum & ſanguinem Chriſti omnes chriſtiani nominis profeſſores, vt adnitantur ſeruare Eccleſiæ vnitatem in vinculo pacis & charitatis. Quis verò Auguſtæ crudelius, quàm tu eccleſiæ vnitatem ſcidit ac diſſipauit per ſeditioſas cõtra totum Clerum conciones? Quis vehementius incitauit, quàm tu Senatum populumque Auguſtenſem ad interdicendum Miſſæ ſacrificium,atque ad eiiciendum ſacerdotes catholicos ex vrbe,

Communis hęreticorum plaga.

quibus ante inſanias veſtras optimè in Eccleſiæ vnitate inter ſeſe conueniebat? Stabunt igitur aduerſus te ante Chriſti Tribunal & ſpiritus Chriſti ſanguisque eius (per quos in præfatione obteſtatus es Chriſtianos) & vniuerſus cœtus epiſcoporum, chorúſq; ſacerdotum, vnà cũ toto Clero & populo Catholico, qui ante te tuóſque complices Chriſtum Auguſtæ in eccleſiæ vnitate piè coluerunt, & accuſabunt te de omnibus, de quibus ego Teuthonicum librum tuum in præmiſſis reprehendi: Ex quibus te iudex tanquam de ore proprio condemnabit, quia longè aliter habent, quàm habet tua illa præfatio.

Grauis contra Muſculũ accuſatio

Quod ſi ſeriò crederes, vel animæ tuę immortalitatem, vel futurum Chriſti iudicium, certè non permaneres, neque in damnabili contra Rom. eccleſiam diſſidio ac hæreſi, neque in vetito & incæſto cõtra Monaſtica vota coniugio. Etenim vt nihil de iis, quæ contra vtrunque ſcelus

Scripta Chryſoſtomi & Baſilij contra Muſculũ

lus permulta ſcripſit Chryſoſtomus, dicam. (Quandoquidem tu ipſe affirmas, eum contra vituperatores vitę Monaſticæ libros ædidiſſe, qui & extant ſanè tres egregij.) Quanta quæſo habentur in Baſilio, tamen ex tua (ne vllam poſſis prætendere ignorantiam) tum ex aliorum verſione è Græco in Latinum, quæ & doctrinã & vitam tuam manifeſtè damnãt? Neque tu ea poteris vlla vel honeſta ratione, vel verecunda fronte contemnere aut reiicere. Nam vltro fateris in illa præfatione, quod opuſculis Baſilij præmiſſa ſit Gregorij Nazanzeni Monodia, quæ ſanctiſſimi huius viri cùm vitæ, tum pietatis ſimul & eruditionis immenſas laudes proſequitur.

Et tu ipſe ſic admiraris illius animi verè Chriſtiani (vt ais) pietatem nuſquam non occurrentem, vt ei quaſi agnata fuiſſe videatur: quam ille talis quoque vitæ conuerſatione ac ſtudio aluerit, corroborauerit, & ad mortem vſque illæſam in- Verba Muſculi in laudẽ Baſilij.

diuulſe(tuis vtor verbis) retinuerit, vt haud immerito ſit, non tã, vt tibi videtur ampliſſimę eruditionis, quã religioſiſſimę vitæ gratia MAGNI cognomẽ adeptꝰ.

Vana Muſculi excuſatio.

Neque vero pro tui excuſatione faciet aliquid, ſi dicas (vt dicere ſoletis) quod ſcripturæ ſacræ plus credendũ ſit quàm quibuſcunque patribus. Nam tu ipſe affirmas, Aſcetica illius dogmata omnia ad ipſam pietatem colendam eſſe inſtituta, & viuendi formulas vbique è Diuinis literis petitas, atque ad eam ſancti viri pietatem acceſſiſſe ſingulare quoddam ſacrarum ſcripturarum ſtudium; Cuius argumenta ſint illius ſcripta, in quibus ille tam frequenter tamque religioſe teſtimonia ſcripturarum induxerit, vt nihil aliud egerit quã vt autoritate Diuinorum oraculorum omnia corroboret, quæ ad veram pietatem efflagitantur, Cuius Aſcetica nõ humani ingenij induſtriam, ſed Diuini eloquij certitudinem ac Maieſtatem reſonent.

Quibus

Quibus igitur fucis aut tropis atque coloribus et technis artis Rhetoricę poſſis apud Tribunal Chriſti illo aſtante ac ſimul iudicante, excuſare vel impia tua cõplicumque tuorum contra ſacerdotiũ & ſacrificium nouæ legis dogmata? vel turbulentas conciones & calumnias tuas, quibus Senatum populumque Auguſtenſem in odium Cleri, maximè in Monaſticæ vitæ profeſſores & in ſacrarum virginum ſancta inſtituta maligniſſimè concitaſti? vel tuam ipſius vitam in ſcandaloſam, in qua contra votũ deo ſolenniter emiſſum, maculoſum & incæſtũ tenes cõiugiũ, nefarius & votifragus monaſticæ profeſſionis deſertor? Obſecro te, vt dicas nobis palã, ſi vere credis vel Baſilij doctrinã eſſe piã & è ſacris eloquijs petitã, vel Chriſtũ ad iudiciũ vẽturũ eſſe vt reddat vnicuiq; ſecundũ opera ipſi[9], quónã animo legeris et in latinũ verteris eã Baſilij increpationẽ, qua in Monachũ qui exciderat à ſacro ꝓpoſito

Scelera Muſculi inexcuſabilia.

Epiſtola Baſilij in Monachum deſertorem

inuectus eſt: Quicquid enim in illũ dictum eſt, in te quoque verè dici poteſt: videris enim deſertori illi ſimillim⁹. Sic ergo exorſus eſt: Salutis gaudium non dicimus, quoniam in rebus impiis gaudere non licet. Adhuc enim adduci nequeo, inquit, vt credam & in cor meum admittam abſurdum illud & vehementer audax facinus, quod deſignaſſe diceris, licet iam omnibus ita habere videatur. Admiror enim quomodo tãta interierit ſapientia, quomodo tanta vitæ diligentia peſſundata ſit, vnde tanta offuſa cęcitas, quomodo reiecta omni conſyderatione talem ac tantam animarum perditionem induxeris. Si enim hoc verè patraſti, & animam tuam Inferni profundo tradidiſti, & omnium eorum, qui impium hoc facinus audiẽt, firmitatem diſſoluiſti, fidem fruſtraſti, boni propoſiti certamen à ſcopo auertiſti. Quapropter tui gratia doleo. Et infra: Quomodo te deplorabo? quomodo ſuper te dolebo?

Deploratio in deſertorem

dolebo?quomodo cecidit Lucifer q̃ manè oriebatur?quomodo ſuper terrã contritus eſt? Ambæ prorſus aures tinnient cuicunque audituro. Quomodo Nazaræus auro ſplendidior, fuligine factus eſt obſcurior? Quomodo filius Sion præclarus, factus eſt vas inutile? Cuius Diuinarum ſcripturarum commendationem omnes commemorabant, illius hodie memoria cum ſonitu periit. Qui acri erat & veloci ingenio, velociter & periit. Qui multę erat intelligentię, multifariam etiam deliquit &c.

Fides de futura retributione.

Si ergo nondum excidit tibi Muſcule, tota de futura retributione fides, dic quęſo, qua conſcientiæ redarguentis & crimen agnoſcentis trepidatione, mentiſque terrore, cordis item & medullarum concuſſione, ac pręcordiorum palpitatione hæc ſancti viri tonitrua & Diuina oracula legeris, & quanto manus tremore in latinũ verteris. Viuus eſt enim (inquit ad Hebræos Apoſtolus) ſermo Dei Heb. 4.

Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionẽ animę et ſpiritus, compagũque ac medularum. Quod ſi te nihil mouerũt aut affecerũt, neque hodie mouẽt aut afficiunt verba illa, certum eſt, te in anima prorſus mortuum eſſe, ſyndereſimq; mentis tuę per flagiciorũ immanitatem penitus extinctam, & nullũ doloris ſenſum aut remorſum in conſcientia tua reliquum eſſe, teque multo peiorem eſſe ea vidua, de qua hanc profert

1.Tim. 5. ſententiã Apoſtolus: Quę in deliciis eſt viuẽs, mortua eſt. Eſt aũt iſta Baſilii epiſtola & antea in latinum ab alio quodã verſa, Cui⁹ hoc eſt exordiũ: Salutẽ in epiſtolis ſolitã prę fari minime curamus, ꝙ ĩpiis hominib⁹ nequaꝗ ſal⁹ cõueniat.

Aliorum ĩ deſerto res Inuectiuæ. Nec diſcrepat hęc increpatio ab illis, quaſ in ſimiles Monaſtici propoſiti deſertores ſcripſerunt reliqui Eccleſię doctores, Baſilio contẽporanei Ambroſius Chryſoſtomus, Hieronym. Gregorius,

Nazan-

Nazanzenus et Auguſtinus. In quorum conſpectu quomodo poteris, rogo ante Tribunal Chriſti ſtare aut mutire? tantum abeſt, vt reſpōdere aut defēdere nefas tuum poſſis auſiſue. Dicet enim Iudex, In ore duorum aut trium teſtiū ſtabit omne verbum. Quod ſi ad vnam Baſilij epiſtolam reſpondere non poteris, Matth. 18.
quid poſſis ad tam multa alia Monaſticæ vitæ Encomia, quę tu in Aſceticis Aſcetica Baſilij.
eius Sermonibus in Latinum tranſtuliſti, haud ſane infœliciter, niſi quod tibi ipſi ad non modicā infœlicitatem ceſſura ſunt in extremo iudicio, quod ſciens prudensque ea contemnis & pręuaricaris. Multoque tolerabilius tibi foret in illa die, ſi ea nunquam legiſſes: Scriptū Luc. 12.
eſt enim: Seruus ille qui cognouit volūtatem Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis: Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.

Ego

Ego breuitatis gratia ex primis dũtaxat duobus Sermonibus pauciſſima hîc commemorabo, ſi fortè vllus adhuc fidei aut rectę rationis in te ſuperſit igniculus aut ſcintilla aliqua, vt ꝑ ea memor ſis vnde excideris, agáſque vel ſero pœnitentiam, ante quàm moueatur candelabrum tuum de loco ſuo, vt in Apocalypſi admonet Ioannes Apoſtolus.

Apoc. 2.

Verba Baſilij ad monachũ militẽ Chriſti.

Sic igitur ait in primo ſermone Baſilius: Age miles Chriſti, ęternorũ bonorũ ſenſum ac cogitationẽ accipe. Vita tibi proponatur, quæ nec domo nec ciuitate nec poſſeſſionibus opus habeat: Animo ſis quieto, àb omnibus mundanis curis libero: Ne te irretiat deſiderium vxoris, neque cura liberorum. Eſt enim hoc ad Diuinam militiam inualidũ: Arma nãque militię noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, Hic te non vincet natura corporis, neque premet nolentem, Ne te pro libero captiuum reddas, Ne quæras in terra liberos quos poſt te relinquas,

ſed

ſed quos in cœlum ſubuehas. Ne corporalibus adhære nuptiis, ſed ſpiritales expete, Animabus impera, ſpiritali prole fœcundus eſto, ſponſũ imitare cœleſtẽ. Hæc ibi.

Et mox in ſecundo deinceps ſermone ait inter alia multa ſic: Ne ſe improuiſis certaminibus iniiciat, & poſteà ingruẽtibus tentationibus obſiſtere non valẽs, deprehendatur ad priſtinę vitę conuerſationem, quam reliquerat, cum pudore ac irriſione & animæ condẽnatione recurrere: Et prętera multis offẽdiculo factus, omnibus occaſionem pariat de conuerſatione quę in Chriſto eſt ſuſpicandi quod talis ſit que ſeruari nequeat. Qua in re quid ſit periculi, ſcitis omnes qui Euangelia legitis, In quibus Diuina vox dicit. Melius eſt illi, vt mola aſinaria ſuſpenſa in collo eius proiiciatur in mare quàm vt vnum offendat ex his puſillis. non enim tantum reus eſt deſertæ aciei, ſed & perditionis eorum, quos exemplo

Quantũ ſceleris eſt in dei ſeruione monachatus.

Matth. 18.

ſuo

ſuo ſubuertit, etiam ſi ſtultis cogitationibus ſibi ipſi perſuadeat, quod in ſęculari vita conſtitutus, bonis poſſit operibus placare numen, quod ipſi eſt impoſſibile. Qui nanque in ea vita, quæ peccatis, propter reiectionem ſæcularium curarum, minus eſt obnoxia, nō potuit inimici certamina ſuſtinere, quomodo in ea, quæ multis delictis expoſita eſt, & ab ipſo oritur, aliquid recti præſtare poterit? Et ſi dederit quiſquam, quod poſſit vitam ipſe ſuam corrigere, non tamē culpam deſerti Chriſti euadet. Si te Muſcule, hæc Baſilij verba non poterunt ad reſipiſcentiam commouere, certum eſt te morti æternæ propter ſcelerum grauitatem deſtinatum eſſe. Quemadmodū

1. Reg. de filiis Heli, ſūmi ſacerdotis & iudicis in Iſrael, ſcriptum legitur: Et non audierūt vocem patris ſui, quia voluit Dominus occidere eos. Hęc ego abominor & meliora atque ad ſalutem viciniora tibi precor & opto.

FINIS.

[library stamp]